SPECIMEN CONTROVERSIARVM BELGICARVM.

Seu

CONFESSIO

ECCLESIARVM REFORMATARVM IN BELGIO,

Cujus ſingulis Articulis ſubjuncti ſunt

ARTICVLI DISCREPANTES,

in quibus nonnulli Eccleſiarum Belgicarum doctores hodie à receptâ Doctrinâ diſſentire videntur.

In uſum futuræ Synodi Nationalis Latinè edidit, & collegit,

FESTVS HOMMIVS.

Addita eſt in eundem uſum

HARMONIA SYNODORVM BELGICARVM.



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex Officinâ ELZEVIRIANA.

ANNO cIↃ.IↃ.C.XVIII.

HIERONYMVS

Dial. adverſus Luciferianos, cap. VII.

Ingemuit totus orbis [Belgicus] &
[Ne-] Arianum ſe eſſe
miratus eſt.

Illuſtr. & Præpotent.

BELGICÆ

Fœderatarum Provinciarum

ORDINIBVS

GENERALIBVS,

Earundemq́; Provinciarum

GVBERNATORIBVS

Illuſtriſſimis ac Fideliſſimis,

Religionis Reformatæ, & Belgicæ Libertatis Aſſertoribus ſtrenuiſſimis.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPES AC DOMINI, Religionis veræ in ſinceritate ac pace conſervationem non tantum ad muneris veſtri curam pertinere, ſed etiam Reipublicæ veſtræ præcipuum eſſe στῦλον καὶ ἑδραίωμα, optimè Vos intelligere reipſa oſtenditis. Conſervari veram Religionem in ſinceritate ac pace vix poſſe, in hac perverſitatis

humanæ malitiâ, prudens ac veneranda judicavit Antiquitas, nisi extent in Ecclesijs publicæ consensus in doctrinâ orthodoxâ Formulæ, seu breves & dilucidæ præcipuorum Fidei Articulorum ex verbo DEI *declarationes, communi Ecclesiarum consilio & consensu institutæ, quarum approbatione omnes Ecclesiarum doctores consensum suum in doctrinâ orthodoxâ, ejusque traditione, testatum faciant. Habitum hoc semper fuit, jam inde ab Apostolorum temporibus, ad puritatem doctrinæ in Ecclesijs conservandam, nec non ad pacem ac concordiam in ijsdem stabiliendam, commodissimum medium, atque etiam adversus hæreses & schismata expeditissimum remedium. Servivit olim huic fini in ipsis Christianæ Ecclesiæ primordijs Symbolum, quod vocatur Apostolorum, vel ab ipsis Apostolis, vel ab ipsorum Discipulis, viris Apostolicis, Ecclesiæ traditum, & per manus ad nos usque propagatum. Postmodùm quum variæ in ipsis Ecclesiæ visceribus exorirentur hæreses, earúmque autores* ἐν πανουργίᾳ περιπατοῦντες, καὶ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ δολοῦντες, *ad obtegendas corruptelas suas, ejusdem brevitate abuterentur, coactæ fuerunt Ecclesiæ orthodoxæ ejusdem prolixiorem ex verbo* DEI *repetitionem ac declarationem instituere, ut veritas*

tas cœlestis clariùs illustrari, & fraudulenta omnis hominum hæreticorum πλάνη καὶ ἀπάτη detegi, præcaveri, atque ab Ecclesijs arceri queat. Factum hoc fuit communi Ecclesiarum consilio, Nicææ, Constantinopoli, Ephesi, Chalcedone, alijsque in locis, diversis temporibus, quotiescunque exorientium subinde hæreticorum improbitas hanc Ecclesijs necessitatem imposuit. Postulant enim omninò salus atque ædificatio Ecclesiæ, ut excitatæ controversiæ communi Ecclesiarum consilio examinentur, ac decidantur: utque earundem communi consensione propriæ quædam, perspicuæ, & genuino S. Scripturæ sensui congruentes explicationes, & loquendi formæ, constituantur, ne novis quotidie opinionibus ac locutionibus Ecclesiæ turbentur, aut distrahantur. Sinceritas doctrinæ, & pax Ecclesiarum conservari nequaquam possunt, nisi hac ratione novaturientium licentia coërceatur, & hæreticorum fraudibus, quibus in Ecclesias irrepere solent, occurratur. Imprimis necesse habuerunt Ecclesiæ, quæ per singularem DEI gratiam ab erroribus, superstitionibus, atque idololatriâ, quibus Antichristus ille magnus Ecclesiam Christianam miserandum in modum conspurcavit, repurgatæ ex Babylone illâ profugerunt, publicâ atque apertâ

veritatis Evangelicæ, quam amplectuntur confessione fidei suæ, quam profitentur, atque etiam justissimæ suæ à Papatu discessionis rationem reddere, calumnijs improborum obviam ire, consensum in doctrina cum reliquis Ecclesijs Reformatis testari, & posteris fidei suæ testimonium relinquere. Quare uti reliquæ nationum omnium Ecclesiæ Reformatæ suas fidei Confessiones has ob caussas ediderunt, ita quoque Majores nostri, qui Ecclesias hasce Reformatas per Belgium, plerique etiam sanguine suo, fundarunt, hanc quoque Fidei & Doctrinæ suæ, ob cujus professionem gravissimas ab Hispanica crudelitate persecutiones sustinebant, Confessionem publicam exstare voluerunt. Hujusmodi Confessiones quia conscriptæ sunt ab hominibus qui errare potuerunt, non sunt, nec esse possunt, autoritatis αὐτοπίστου καὶ ἀνεξετάστου (hæc enim prærogativa soli Sacræ & θεοπνεύστῳ Scripturæ competit) ad normam verbi divini semper expendi debent, si quis in ijs errorem se posse ostendere existimet. Hanc tamen in Ecclesijs autoritatem obtinere debent, ut habeantur pro publicis receptæ in Ecclesijs doctrinæ, doctorumque in eâdem consensus Formulis, ac pro sententijs, quæ communi Ecclesiarum approbatione verbo DEI consentire

judi-

judicantur: quibus proinde debeant ſubſcribere omnes, qui in Eccleſijs illis publico docendi munere fungi volent. Nec unquam permittendum eſt, ut qui ſemel Confeſſioni publicæ ſubſcripſit, autoritate privatâ quidquam in eâ immutet, aut diverſum ab eâ doceat. Fieri enim non poteſt, quin ſtatim contentiones & ſchiſmata in Eccleſijs inde exoriantur. Cæterùm ſi quis exiſtimet ſe in recepta doctrina aliquid obſervaſſe, quod ſacris literis minus conſentaneum arbitretur, communi Eccleſiarum judicio expendendum proponere debet, ut ſi rationes ejus verbo divino congruere comperiantur, communi conſilio mutatio inſtituatur: ſin minus, ut aut Eccleſiæ judicio acquieſcat, aut deſinat docere in illis Eccleſijs, quarum doctrinam ipſe non approbet. Hæc uſitata ac commodiſſima ratio eſt Eccleſias à contentionibus & ſchiſmatibus in pace conſervandi. Atque hâc ratione Eccleſiæ noſtræ altam pacem atque amabilem concordiam inter ſe coluerunt, tam ſub crudeliſſimis perſecutionibus, quam poſtea cum Vos, Illuſtriſſimi Principes ac Domini, altores & vindices nactæ ſunt, ſub graviſſimo bello, per annos plus minus quinquaginta. Tentarunt quidem nonnulli, qui vetus Papiſmi fermentum penitùs non expurgaverant, paucis in

locis

locis quædam innovare, & suavem hanc Ecclesiarum harmoniam disturbare, sed imperita istorum audacia legitimis Ecclesiarum nostrarum censuris, & autoritate vestrâ maturè repressa fuit. Donec tandem incidimus in infœlices & pernitiosißimas hasce contentiones ac controversias, quibus status non tantum Ecclesiarum, sed & Reipubl. miserè concußus, conturbatus & tantum non eversus fuit. Caussam earum omnes prudentes norunt aliam non fuisse, quam quod nonnulli Ecclesiarum nostrarum Doctores, qui in doctrinâ receptâ quædam desiderare videbantur, viam hanc regiam ingredi noluerint, sed opiniones suas discrepantes contra laudabilem Ecclesiarum ordinem atque usum, antequam cum Ecclesijs rationes suas communicassent, aut Ecclesiæ de illis legitimè cognoscere & judicare potuerint, in vulgus publicè & privatim, concionibus & scriptis suis, sparserint: quin etiam impediverint hactenus tantis viribus, ne legitima aliqua cognitio Ecclesiastica de ijs institueretur. Huic malo ut tandem aliquando remedium adhibeatur idoneum, laudandum est omnibus modis, Illustrissimi Principes ac Domini, decretum vestrum, quo, exemplo piorum principum Christianorum, ex usu Ecclesiarum Reformatarum, atque

que etiam ex consilio saluberrimo Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis, statuistis, ut de Controversijs hisce nostris in legitima Synodo Nationali harum Ecclesiarum cognoscatur, & legitimum examen ac judicium secundum divini verbi normam instituatur. Ordinarium hoc semper fuit in Ecclesiâ DEI *adversus istiusmodi mala remedium, maximo cum pacis & veritatis emolumento à Christianis principibus sæpè adhibitum. Ad hanc Synodum quia prudentissimè judicastis operæpretium fore doctissimos quosque & veritatis ac pacis amantissimos Theologos ex vicinis Regnis & Rebuspublicis invitari, ut tanti momenti negotium quasi communi omnium Reformatarum Ecclesiarum consilio maturiùs expendi, & accuratiùs componi queat, existimavi me illis & toti Synodo utilem navaturum operam, si specimen aliquot Controversiarum, quibus Ecclesiæ nostræ hactenus sunt turbatæ, Latinè exhiberem, ut ex eo aliquâ ex parte cognoscant, quibus de controversijs in hac Synodo potissimùm erit agendum. Ad tollendas enim Controversias, imprimis necessarium est, statum earum sollicitè inquiri, & rectè formari, ut deinceps expensis accuratè in timore* DEI *utriusque partis rationibus, eædem secundum verbi divini normam*

debitè decidantur: Adjunxi etiam harmoniam Canonum Eccleſiaſticorũ in ſuperioribus Synodis Nationalibus conſtitutorum, ſecundum quos hactenus Eccleſiarum noſtrarum regimen fuit inſtitutum: ut hac ratione exteri Theologi ad Synodum hanc venturi de Controverſijs, Doctrinâ, & Regimine Eccleſiarum, quaſi compendio erudiri queant. Hunc laborem meum ſi Vobis, Illuſtriſsimi Principes & Domini, non diſplicere intellexero, eſt quod ſeriò mihi gratuler. Suſceptum fuiſſe eo tantùm animo, ut Eccleſijs noſtris patrijs prodeſſet, novit ille ὁ περιπατῶν ἐν μέσῳ τῶν λυχνιῶν τῶν χρυσῶν, *quem ſupplex veneror, ut in futura hac Synodo Nationali, quæ quaſi Generalis haberi meritò poterit, Spiritu ſuo Sancto præſideat, eámque ita moderetur, ut per ipſam Eccleſijs noſtris priſtina pax reſtituatur, Doctrina orthodoxa in illis magis magíſque illuſtretur ac ſtabiliatur, & collapſum regimen reſtauretur, ad divinæ gloriæ propagationem & ſubditorum veſtrorum ſalutem. Imprimis etiam, ut Vos, Illuſtrißimi Principes & Domini, potenti dexterâ ſuâ protegat, optimis conſilijs veſtris, ac toti gubernationi ubertim benedicat, atq; incolumitatem Vobis longævam concedat.* Lugd. Bat. VIII. Octob. A°. CIƆ.IƆ.C.XVIII.

Illuſtriſſ. Excell. Celſitud. & Dominat. Veſtris devinctiſſimus

FESTVS HOMMIVS.

LECTORI S.

DE Controverſijs, quæ in Reformatis, Eccleſijs Belgicis ante paucos annos excitatæ fuerunt, eaſdemq; Eccleſias miſerè hactenus afflixerunt, varij apud exteros non ſolùm, ſed domi quoq;, ſparguntur rumores. Qui infelicium harum Controverſiarum autores ſunt, ut facti tam intempeſtivi & noxij invidiam declinent, in eo toti nunc ſunt, ut eaſdem omni ratione extenuent, perſuadeántque omnibus litem tantùm ab ipſis moveri de quibuſdam circâ arduum illud de divinâ Prædeſtinatione dogma ſubtilitatibus, quæ ad promovendam hominum ſalutem neutiquam ſint neceſſariæ. Proteſtantur publicè ſe præter quinque iſtos, nimis notos, de Prædeſtinatione, eiq; annexis capitibus, articulos, nihil habere, de quo contendant. Quod hæ controverſiæ jam dudum ſopitæ non ſint, culpam omnem rejiciunt in illos, qui ipſis adverſantur, quoniam in articulis, uti prætendunt, ad ſalutem minus neceſſarijs, diſſentientes tolerare nolint. Alij rationes ſe habere putant graviſſimas,

 quibus

quibus adducantur, vt non tantùm meritò ſuſpicentur, ſed omninò etiam arbitrentur, plauſibilem illam de Prædeſtinatione controverſiam, quinq; illis Articulis expreſſam, πρόφασιν tantùm eſſe, ſub quâ Socinianiſmum (aliquantulùm fortè interpolatum aut incruſtatum) in Reformatas haſce Eccleſias introducere conentur. Idq; eo magis credunt, quod ex ſcriptis etiam eorum qui proteſtationem illam manibus ſuis obſignarunt, oſtendere clariſſimè poſſint in multò pluribus articulis illos à receptâ harum Eccleſiarum doctrinâ diſcedere, atque ad errores Socinianorum accedere: quod etiam nullâ hactenus ratione permoveri potuerint, ut apertâ ac rotundâ declaratione publicè teſtatum facerent, quid de præcipuis doctrinæ Reformatæ capitibus ſentiant, aut quam procul à Socinianorum erroribus abſint: quod denique ipſi profiteantur haſce ad promotionem cauſſæ ſuæ artes adhiberi, *vt apud vulgus non ulterius progrediantur, quam de Articulis vulgò notis: ut pro ingeniorum diverſitate quoſdam lacte diu alant, alijs ſolidiorem cibum maturiùs præbeant; alios rectà & apertè, alios per cunicu-*

cuniculos aggrediantur: cum quibusdam agant planè, & nihil dissimulatè, seu quod ajunt, rotundâ phrasi, apud alios autem receptas loquendi formulas, adhibita commodâ interpretatione in bonum sensum trahant, ut vel nescientes verum discant, nec novitatis specie ab ipso limine repellantur. Adeò ut circa hasce Controversias tam de earundem statu, quam de veritate hodie concertetur. Quid de eo sit, brevi, volente DEO, Synodus Ecclesiarum Belgicarum Nationalis, ad examinandas tollendásque hasce Controversias ab Illustr. & Præpotent. ORDINIBUS GENERALIBUS convocata, despiciet & judicabit. Huic me rem nec ingratam nec inutilem facturum judicavi, si ea, quæ aliquando in usum meum privatum ex publicis doctorum Ecclesiarum nostrarum scriptis annotavi, in quibus à receptâ atque in Confessione Ecclesiarum nostrarum expressâ doctrinâ discedere videbantur, publicè communicarem. Descripsi omnia fide optimâ, uti virum bonum decet: de eo si quis fortè dubitaverit, aut infidelitatis me arguere voluerit, paratus semper ero fidem meam palàm commonstrare, quam etiam

deprehendent omnes, qui conferendi laborem ſumere volent. Nolui omnia deſcribere, quæ in iſtis ſcriptis paſſim occurrunt à receptâ doctrinâ, uti videtur, diſcrepantia, ne moles libelli nimium excreſceret, ſed iſta tantùm annotavi, quæ mentem ipſorum clariſſimè explicare, & ad articulorum diſcrepantium probationem ſufficere videbantur. Subjunxi iſta, ſuis quæque locis, Confeſſionis noſtræ ſingulis Articulis, ut ſententiarum collatio meliùs inſtitui, & diſcrepantia clariùs perſpici queat, atque eum in finem numeris etiam annotavi, quibus in locis diſcrepantia inveniri videatur. Confeſſionem autem cum vetuſtiſſimis, tum Gallicis, tum Belgicis editionibus contuli, & ſi quæ in poſterioribus omiſſa reperiebantur, quæ in prioribus extabant ea uncinulis, diſcretionis cauſſâ incluſa, paſſim addidi in gratiam eorum, quibus otium non eſt editiones illas diverſas conferre. Produxi hic Doctores, non qui in Eccleſijs Germanicis, Gallicis, Britannicis, Helveticis, alijſve docent, aut aliquando docuerunt (hæc enim cura ad nos propriè non pertinet) ſed qui in Eccle-

ſijs

ſijs Reformatis fœderati noſtri Belgij hodie docent, aut proximè elapſo hoc decennio docuerunt,&qui proinde Doctrinæ ſuæ coram Synodo Nationali Belgicâ rationem reddere tenentur. Præcipuorum nomina in gratiam tuam, benigne Lector, hic ſubjicio.

D. IACOBVS ARMINIVS, SS.Theologiæ Profeſſor in Academiâ Leydenſi, cujus ſcripta ediderunt & defenderunt Remonſtrantes Leydenſes.

D. CONRADVS VORSTIVS, SS.Theologiæ Profeſſor Academiæ Leydenſis.

M. SIMON EPISCOPIVS, SS. Theologiæ Profeſſor in Academiâ Leydenſi.

M. PETRVS BERTIVS, Regens Collegij Theologici in Academiâ Leydenſi.

CASPARVS BARLÆVS, Subregens Collegii Theologici in Academiâ Leydenſi.

ADRIANVS BORRIVS, Paſtor Eccleſiæ Leydenſis.

IOANNES ARNOLDVS, Paſtor Eccleſiæ Leydenſis.

BERNARDVS DVINGLIO, Paſtor Eccleſiæ Leydenſis.

IOANNES WTENBOGARDVS, Paſtor Eccleſiæ Haganæ.

NICOLAVS GREVINCHOVIVS, Paſtor Eccleſiæ Roterodamenſis.

ADOLPHVS VENATOR, Paſtor Eccleſiæ Alcmarianæ.

HEN-

HENRICUS SLATIUS, Paſtor Eccleſiæ Bleyſwicenſis.

PETRUS CUPUS, Paſtor Eccleſiæ Woerdanæ.

HENRICUS WELSINGIUS, Paſtor Eccleſiæ S. Martenſdyckanæ, in diœceſi Ultrajectinâ, qui edidit Libellum FAUSTI SOCINI, de Officio hominis Chriſtiani in hodiernis iſtis de Religione controverſijs: cui etiam præfixit Præfationem ſuam, quâ Libellum hunc Evangelicis commendat, ut ſatis nervosè tractantem id quod auctor ſibi propoſuerat, monetque eos ut diligenter hunc Libellum legant, & unicè attendant, non quis, ſed quid dicat: docetque Evangelicos magno cum fructu hunc Libellum legere poſſe, utpote qui ex eo agnituri ſint, multa ſibi deeſſe adhuc ad veram Religionis puritatem: multa etiam quæ pugnent cum illâ imprudenter adhuc in cœtibus ſuis retineri.

VALE, *candidè Lector, & ſincerè judica.*

CON-

CONFESSIO

verè Christiana Ecclesiarum Reformatarum BELGICÆ,

Continens summam doctrinæ de DEO, *& de æternâ animarum salute.*

ARTICVLVS I.

De Naturâ DEI.

CORDE credimus, & ore confitemur, unicam, 1. esse & simplicem, 2. Essentiam spiritualem, 3. quam DEVM vocamus, æternum, incomprehensibilem, invisibilem, 4. immutabilem, 5. infinitum, 6. qui perfectissimè est sapiens, 7. justus, & bonus, ac fons omnium bonorum uberrimus.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Non esse unicam essentiam divinam, sed esse tres essentias divinas.*

A VORSTIO, *Disp. de* DEO, *pag. 208.* Sunt *tres* saltem, si non plures *diversæ res in* DEO. Et contradictio quædam videtur esse rem ullam verè existere, quæ non habeat suam quandam *propriam essentiam.*

Apol. Exeg. pag. 38. Pater peculiarem quandam entitatem, ſeu quaſi limitatam & reſtrictam *eſſentiam* habere putandus eſt. Idem *de Filio* DEI *& Spiritu S.* ſimiliter exiſtimandum eſt.

II. *Eſſentiam* DEI *non eſſe ſimplicem, ſed compoſitam ex ſubjecto & accidentibus.*

A VORSTIO, *Diſp. de* DEO *pag. 208.* Hinc porrò alia effloreſcit ratio, qua docetur, *Accidentia* etiam quædam *in* DEO *locum habere. Ibidem.* Totidem *in* DEO *accidentia* ſunt, quot decreta de rebus foris efficiendis.

Ibidem. pag. 209. Accedunt varia Scripturæ teſtimonia, quibus aſſeritur *aliud & aliud in* DEO *eſſe*, videlicet *ſubjectum & accidens. Ibidem. Aliud eſt* ipſum vivum ſubjectum, *aliud* vita ipſa *in* DEO. *Non ſunt* igitur axiomata illa, vulgò pridem recepta, ſimpliciter & omni modo *vera: In* DEVM *non cadere ullam diverſitatem*, aut *compoſitionem*: Item, *Nullum in* DEO *accidens eſſe*: ſed *quidquid in ipſo eſt*, DEVM *ipſum eſſe.*

Ibidem. pag. 100. Nihil vetat generatim aſſerere *aliud atque aliud in* DEO ſive *in* DEI *eſſentiâ eſſe*, idque per naturæ neceſſitatem ab æterno. Nihil etiam vetat hactenus *in* DEO *compoſitionem* aliquam ſtatuere.

Ibidem. pag. 247. Videtur *aliquid in* DEO *diverſitatis ineſſe*; ut aliud ſit ipſa DEI ſubſtantia vivens; aliud vita ſeu vis illa, per quam vivit.

III. *Eſſentiam divinam non eſſe merè ſpiritualem, ſed etiam corpoream.*

A VORSTIO, *Diſp. de* DEO, *pag. 201.* Si vocabulum *Corporis* in ſignificatione latiore ſumamus, nihil vetat DEO etiam *Corpus* aſcribere.

Item. pag. 251. Ipſe (DEVS) ex ſententiâ Tertulliani ſuum *corpus*, id eſt, ſuam veram & *ſolidam* ſubſtantiam habet: *eoq;* robuſtum *brachium* & potens dextera ei ſæpenumerò tribuitur.

IV. DEVM

IV. DEVM *non esse invisibilem, sed externâ oculorum glorificatorum inspectione videri posse.*

A VORSTIO, *Disp. de* DEO, *pag.237.* Quod ea loca, quibus DEVM visuri dicimur, de interiore mentis speculatione, *non de externâ oculorum inspectione* vulgò interpretantur, nescio an S.literis satis consentaneum sit.

Ibidem.pag.200. Quod dicitur nos DEI faciem visuros *1.Ioh.3.2. Apocal. 22.4.* id quoad nos de futuro seculo intelligendum est, cum jam non amplius caro & sanguis erimus, sed ἰσάγγελοι & spirituales. Quamquam alij de visione mentis tantum, non *de externâ & verâ contemplatione* hæc loca intelligunt.

Ibidem.pag.251. Si quis objiciat, At non habet DEVS formæ pulchritudinem, quia *invisibilis.* Resp. Imò summa est *ejus pulchritudo,* sed quæ non *potest* nisi *à beatis* Angelis & *ἰσαγγέλοις hominibus videri.* Et non sine causa Moses *faciem eius videre* cupivit. Exod. 33. Et non minima fœlicitatis nostræ pars *in visione* DEI statuitur 1. Ioh.3.2.

Apolog.Exeg.cap.6.pag 26. 27. Nec eos facile damnandos esse crediderim, qui loca superius citata (*Apocal.22. Matth. 5. & 18.1. Ioh.3. Psalm.16. & 17.*) & alia eodem pertinentia, non de internâ tantùm mentis speculatione, sed *potissimùm de externâ oculorum inspectione,* seu *verâ faciei contemplatione* simpliciter accipere solent. Non *mortalibus*, quamdiu tales sunt, & in hoc seculo degunt, hæc visio vnquam tribuenda est (quippe qui *carnalibus oculis* hisce ad lucem illam inaccessam penetrare, DEVMque videre non possunt 1.Tim.6.) sed solis *immortalibus ac beatis*, hoc est, ijs tantùm, quorum *oculi* & tota corpora *spiritualia* fore dicuntur. 1. Corinth. 15.

V. DEVM *non esse immutabilem.*

A VORSTIO, *Disp.de* DEO, *pag.212.* Quinta species *mutationis* (alteratio) eatenus *in* DEO locum habere po-

teſt, quatenus ipſe actiones quaſdam immanentes exercet juxta liberam voluntatem.

Ibidem. Hæc voluntas DEI ſemper principium cujuſdam *mutabilitatis* eſt etiam *in ipſo* DEO.

Ibidem. Non ſatis igitur circumſpectè loquuntur, qui DEVM, ut eſſentia, ſic etiam voluntate, prorſus *immutabilem* eſſe affirmant.

Ibidem. pag. 213. Hæc *voluntas* DEI in DEO non minus quam in Angelis & hominibus ad oppoſita *vertibilis eſt.*

Ibidem. Abſoluta & ſimplex *immutabilitas* hac in parte DEO *attribui non poteſt.*

Ibidem. Reſpondeo, hinc (ex infinitate DEI) *non probari* omnimodam & abſolutam *eſſentiæ immutabilitatem.*

Ibidem. pag. 306. Quæ ſub conditione DEVS vult facere, vel quæ fieri tantum deſiderat, vel quæ etiam fortaſſe indefinita relinquit, in ijs aliquo modo *mutabilis eſt* DEI *voluntas.*

Ibidem. pag. 312. Nihil abſurdi ex eo ſequitur, quod DEVS *in tempore* quædam præcisè ac *definitè velle* vel nolle dicitur, *quæ* fortaſſis *antea non* ita præcisè vel *voluit* vel noluit: quemadmodum nec abſurdum eſt DEVM nunc quædam in ſpecie *velle deſinere, quæ* antea reipsâ *voluit.*

Ibidem. pag. 451. Moſes ipſum DEVM *à propoſito* perdendi populi inter alia *revocaſſe* dicitur, argumento metuendi mali eventus: quod ſcilicet hoſtes DEVM eſſent calumniaturi, &c. Videtur enim DEVS *hunc eventum* utpote ſuâ naturâ poſſibilem ſuo modo *metuiſſe* & *propterea à propoſito ſuo receſſiſſe.*

Ibidem. DEVS ſuo modo *aliquando metuit*, hoc eſt, meritò ſuſpicatur, & prudenter conjicit, hoc vel illud malum oriturum, ex aliquo ſuo opere, ſi ipſum fortè procedat; *eoq; opus ipſum* jam inceptum deſerit aut *immutat.*

Ab ARMINIO, *contra Perk. pag. 195.* DEVS *vult* ſeriò, *ut omnes* homines *ſalventur*, at compulſus pertinaci & incorrigibili malitiâ nonnullorum *vult illos* jacturam facere ſalutis, hoc eſt, *condemnari.*

Ab

Ab EPISCOPIO, *Disp. de Volunt.* DEI, *Thes.* 7. *Volitiones* aliquæ DEI certo quodam tempore *desinunt.*

Ibidem. Thes. 21, Ineptum & ridiculum est dicere seriam & Veram *voluntatem* DEI *esse nequire, nisi effectum sortiatur.*

IV. DEI *essentiam non esse infinitam seu immensam, neque ubique, sed tantum in cælo, præsentem.*

A VORSTIO, *Disp, de* DEO, *pag.* 214. Non caret controversiâ id, quod hic assumitur pro certo, videlicet, *Essentiam* DEI *prorsus & simpliciter immensam esse.*

Ibidem pag. 132. Excipi potest (ad loca Scripturæ, quæ agunt de Omnipræsantiâ DEI) *nusquam* disertè in Scripturâ *doceri* DEUM *substantialiter ubiq; præsentem*, adeoque simpliciter *infinitum esse.* Nusquam scriptum legimus, DEI *substantiam simpliciter immensam*, & totam reipsâ *omnibus in locis præsentem esse*, imò non pauca, quæ *contrarium* sensum habere videntur, passim occurrunt.

Ibidem. pag. 133. DEI Majestas ideò templis manufactis includi non potest, quia *substantialiter in* altissimo illo *cælo*, tanquam in solio aut palatio suo resideat: sic tamen ut *virtualiter* etiam sive κατ᾽ ἐνέργειαν suam *in terrâ* versetur.

Ibidem. Patet *ex Scripturis immensitatem aut ubiquitatem essentiæ divinæ probari non posse.*

Ibidem pag. 234. Essentiæ divinæ *immensitas* inter ea quæ simpliciter ἀδύνατα dicuntur, meritò refertur.

Ibidem. DEUS *non est* actu simpliciter *infinitus*, neque *essendo*, neque operando.

Ibidem pag. 235. DEUS est quidem infinitus diuturnitate; quia sic ordo & natura postulat: sed *non* propterea *est immensæ essentiæ*, quia hoc natura potius aversatur.

Ibidem. Non sequitur DEUM immediatè illic *suâ substantiâ adesse*, ubicunque operatur: quia per caussas medias, sive physicas, sive hyperphysicas, puta Angelos &c. operari potest, ut Rex aliquis per suos ministros.

Ibidem. Apparet ſaltem *incertum* & dubium eſſe quod vulgò *de ſubſtantiali* DEI *immenſitate* traditur.

Ibidem. Prima probatio nititur ijs Scripturæ locis, quibus affirmari omninò videtur DEVM *ratione ſubſtantiæ ſuæ* TANTVM *in cœlo eſſe*, ſive in cœleſti Paradiſo.

Ibidem.pag. 237. Simpliciter *credamus*, quod S. literæ toties inculcant, DEVM revera *ſuâ ſubſtantiâ* (quæ ut ampliſſima & maxima, *noſtriq; reſpectu immenſa* eſt) *in cœlo* altiſſimo, eodemque capaciſſimo *habitare: in terrâ* verò ubique *virtute* & ſapientiâ ſuâ, ſive efficaci operatione & providentiâ ſuâ nobis adeſſe.

Ibidem. pag. 238. Sacræ litteræ DEVM quidem magnum, excelſum, elevatum vocant, ſed *nunquam* abſolutè *infinitum*, aut ſimpliciter *immenſum* appellant. Nam *ſecundum quid, & comparativè* dici poſſe infinitum non negamus, *ſicut reſpectu noſtri* infinitus eſt numerus ſtellarum, & arenæ maris.

Ibidem. pag. 239. Sanè *de loco & locali præſentiâ*, quin DEO verè & rectè *attribui* poſſit, minimè dubitandum videtur.

Antapo. 1. pag. 127. Ad locum in genere acceptum ipſe DEVS aptiſſimè *referri poteſt.*

Diſp. de DEO, *pag. 240.* Quid vetat ſpiritualem quoque DEI *eſſentiam habere* ſuam propriam *quantitatem. Ibidem. pag. 241.* Cum DEVS, etiam quâ DEVS, hoc eſt, reſpectu *ſubſtantiæ ſuæ* magnus eſſe dicitur, certè aliquam hic *quantitatem* & cogitari & eſſe oportet.

Ab EPISCOPIO, *Diſp. priv. de* DEO *Theſ. 10.* Non credimus abſolutè ſcitu neceſſaria eſſe, quæ de immenſitatis divinæ modis, & *de omnipræſentiâ eſſentiæ* controvertuntur.

A SLATIO, *Epiſt. ad N. 9. Mart. & 30. Iun. 1608.* Conſtat DEI manum & *potentiam ubique eſſe*, ſiquidem Spiritu oris ſui ubique eſt: non ſecus ac Sol ubivis locorum in terris eſt, *non ſecundum eſſentiam ſuam*, ſed ſecundum *virtutem ſuam & potentiam.* Ut verum dicam, non eſt cur ſenten-

ſententiam illam improbem. Video namque perfectionem rerum mundanarum in hoc eſſe, ut *potentiæ ſuæ ulterius quam eſſentia extendantur*; quam perfectionem proculdubiò à DEO habent, qui iſtas *ad imaginem ſuam* creavit. Et quo majores ſunt potentiæ, ſeque latius extendunt, eò perfectiores & imagini ſuæ magis conformes ſunt: veluti ſuaveolentes atque medicinales herbæ, lapides, flores, &c. Atqui ego quidem exiſtimo DEUM tunc perfectiorem fieri, quando dicitur operari poſſe, videre, audire, *ubi ſuâ eſſentiâ non eſt*, quàm cum dicitur *eſſentiæ ſuæ præſentiam requiri* ad operandum, videndum, aut audiendum.

VII. DEUM *non omnia & ſingula certò præſcire, ſed quædam verè ſperare, expectare, metuere, & ſuſpicari; & quædam ſcire per diſcurſum: ac proinde non eſſe perfectiſſimè ſapientem.*

A VORSTIO, *Diſp. de* DEO, *pag.311.* Sapientia DEI per ſe minimè requirit, *ut* DEUS *omnia & ſingula*, quæcunque nunc in mundo fiunt, ab æterno *ſcientiâ viſionis* abſolutâ *prænoverit.*

Ibidem. Nihil vetat etiam *in* DEO (generatim loquendo) aliquem talem *eſſe diſcurſum*, quo unum poſt aliud, & rurſus unum propter aliud, aut eſſe aut fieri velit. Imò ſana ratio exigit, ut quia vera proæreſis in DEO locum habet, reſpectu eorum omnium quæ ſunt aut fiunt extra ipſam, etiam *dianoïa* quædam, ſed divina & ab omni defectu liberrima, locum *in ipſo* inveniat. *Ibidem. pag. 271.* Videtur omninò quædam *dianoia*, ſed merè divina, & noſtræ valdè diſſimilis *eſſe in* DEO.

Ibidem. pag.441. Pleniùs reſpondere videntur, qui certam quidem in genere univerſam DEI ſcientiam eſſe docent, ſed ita tamen ut plures certitudinis cauſſas in viſione præſentium, ac præteritorum, quam *in viſione futurorum contingentium* agnoſcant, atque ita *horum ſpem atque expectationem* comparativè loquendo aliquatenus *incertam*

tam

tam esse ſtatuunt: namque quatenus ipſa opera, quæ futura ſperantur, nondum reipſa exiſtunt: imò quatenus reſpectu ſuarum cauſſarum, à quibus proximè ſive immediatè pendent, merè contingentia ſunt, hoc eſt, tam non fieri, quam fieri poſſunt: nec per abſolutum aliquod decretum ad alterutram partem præcisè determinata ſunt. Quo ſanè reſpectu *vera & propriè dicta ſpes ſive expectatio* DEO *attribui poteſt.*

Ibidem. Quod de ſpe ſive expectatione DEI diximus, *idem* ſuo modo de *optatione* ſeu *deſiderio* DEI ſtatuendum eſt.

Ibidem pag. 451. DEVS ſuo modo aliquando *metuit*, hoc eſt, meritò *ſuſpicatur* & prudenter *conjicit*, hoc vel illud malum oriturum. *Ibidem.* Quatenus & quo ſenſu *Spes* in DEVM cadit, eatenùs & *eodem ſenſu metus ſeu timor eidem attribui poteſt.*

Ibidem pag. 266. Abſit ut DEO vel hypocriſin, vel temeritatem, atque imprudentiam ejuſmodi attribuamus, cujuſmodi per *infallibilem omnium futurorum prænotionem induci omninò videtur.*

Ibidem pag. 275. Qui *præſcientiam* DEI *univerſaliter* ſimul & æqualiter, ſive prorſus eodem modo *ad omnia quæcunque fiunt*, tam neceſſaria quam contingentia, tam mala quam bona, ſine delectu *extendunt*, illi arbitrij noſtri libertatem, omnemque rerum contingentiam evertunt; imò DEVM ipſum peccati auctorem tandem manifeſtè conſtituunt.

Ab EPISCOPIO, *Diſp. de pecc. Adami, Theſ. 18.* Neque verò *reſpectus decreti & præſcientiæ divinæ* quidquam facere nobis videntur, ad hoc, ut actus liberi, *neceſſarij etiam dici* poſſint.

Diſput. privat. de DEO, *Theſ. 10.* Inter quæ (ſcitu non neceſſaria) an referri non debeat operoſa illa quæſtio *de ſcientia futurorum contingentium* abſolutâ & conditionatâ diſquiri permittimus.

ARTI-

ARTICVLVS II.

De Cognitione DEI.

DUobus autem modis DEVM cognoſcimus: primò per ipſam creationem, conſervationem, & gubernationem univerſi hujus mundi. Is enim oculis noſtris eſt inſtar Libri pulcherrimi, in quo creaturæ omnes, à minimis uſq; ad maximas, veluti literæ quædam ſunt inſcriptæ, ex quibus inviſibilia DEI conſpici & cognoſci poſſunt; nempè *æterna ipſius potentia & divinitas*, ut Apoſtolus Paulus loquitur, Rom. 1.20.1. Quæ omnia ſufficiunt ad homines convincendos & inexcuſabiles reddendos. Secundò ſeipſum multò clarius & manifeſtius in ſacro ſuo & divino verbo nobis cognoſcendum præbet ac patefacit, quantum ſcilicet nobis in hac vitâ ad ipſius gloriam & ad ſuorum ſalutem neceſſarium eſt.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Nullam omninò haberi poſſe notitiam de* DEO, *ſine ſupernaturali revelatione.*

A VORSTIO, *Diſp. de* DEO, *pag.* 128. Non exiſtimamus

innatam eſſe nobis *aliquam* DEI *notitiam. Ibidem.* Etiamnum integræ nationes inveniuntur, quæ *nullam Divinitatis opinionem* habere videntur.

Apolog. Exeg. pag.5. Semper *patefactio* aliqua tum naturalis, tum *ſupernaturalis*, ipſam DEI *notitiam præcedit* neceſſariò.

Paraphr. ad Rom. 1.20. Tametſi enim præcipuæ DEI virtutes, puta æterna ipſius potentia, & divina ejuſdem voluntas inde à creatione mundi aliquo modo occultæ ac velut inviſibiles fuerunt, nunc tamen hæ virtutes *ex ijs, quæ per Chriſtum & Apoſtolos facta fuerunt*, clarè intellectæ perſpiciuntur. Vnde fit ut impij & injuſti illi nullam impietatis ſuæ excuſationem in medium afferre poſſint.

Schol. ad Rom. 1.20. τὰ γὰρ ἀόρατα.] Hæc verba prolepſin continent, quâ Apoſtolus concedit *hactenus* quodammodo inviſibilia & *occulta* fuiſſe, quæ nunc *in Evangelio* clarè revelata ſunt. Itaque comma ponendum eſt poſt nomen Κόσμȣ, & prima iſta verba ſic interpretanda ſunt. Quæ enim ipſius *inviſibilia fuerunt inde à creatione mundi.* Phraſin prorſus ſimilem vide Matth. 13.35.

Τοῖς ποιήμασι] Intelligit omnia ea, *quæ tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis facta fuerunt* ad Evangelij confirmationem. *Confer. Act. 2.22.*

Ἀΐδιος ἀυτȣ̃ δύναμις] His duobus nominibus complectitur Apoſtolus duas primarias Evangelij partes, nempe *divina promiſſa & præcepta.* Æterna enim potentia DEI ſignificat illam DEI virtutem, *quâ ſervat ab æternâ morte*, quicunque ipſi adhærent. Confer. Epheſ. 1.20. Per Divinitatem autem nihil aliud quam *divina voluntas, quæ ſolidè nobis in Chriſto patefacta eſt*, ſignificatur. Confer Col. 2.9. Epheſ. 3.19. Hæc explicatio eſt Socini contra Wiek. pag. 341. 342. Catech. Racov. pag. 23. 24.

A SIM. EPISCOPIO, *Diſp. priv. de cognit.* DEI, *corol. 2.* 3. An cognitio DEI ſit naturalis? Diſtinguimus. An cognitio

gnitio DEI, quæ ex naturâ habetur, ſit *naturalis? Negamus.*

ARTICVLVS III.
De Sacrâ Scripturâ.

COnfitemur hoc DEI verbum non fuiſſe ullâ humanâ voluntate aut allatum aut traditum: ſed ſanctos DEI viros divino afflatos Spiritu illud elocutos eſſe, ut teſtatur divus Petrus 1. Poſteà verò DEVS ipſe pro immensâ ſuâ curâ & ſollicitudine, quam de ſuis, ſuorumque ſalute gerit, ſervis ſuis Prophetis & Apoſtolis mandavit, ut ſua ille oracula ſcriptis committerent: ipſeque adeò duas tabulas Legis, digito ſuo exaravit: quæ cauſſa eſt cur ejuſmodi ſcripta ſacram & divinam Scripturam appellamus.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Prophetas & Apoſtolos S. Scripturæ Scriptores in ſcribendo non ſemper, vel ubique, actos à Spiritu S. ſed in nonnullis potuiſſe errare.*

A VORSTIO, *Libello de Autor. S. Script. Steinf. ed. p. 15.* Quamvis in quibuſdam paucis rebus, quæ nullius ſunt ponderis (quum fieri poſſit, ut alius alio talium rerum *veritatem melius tenuerit*) fortaſsè aliquantùm aut etiam *multum diversè* alius ab alio ſcripſerint.

Ibidem.pag.104. Fieri poſſet, ut veriſſima ea omnia eſſent, quæ de ipſis hiſtoria affirmat, & tamen *ipſi nonnunquam* hac in parte (in interpretatione locorum aliquorum V. T. & explicatione argumentorum inde ductorum) *leuiter erraſſent.*

P. CUPUS affirmavit Ioanni Taurino, eſſe inter REMONSTRANTES, qui dubitent de αὐτοπιςίᾳ S. Scripturæ.

I. ARMINIUS affirmavit, in publicâ diſputatione, Apoſtolos quædam ſcripſiſſe non ex inſtinctu Spiritus ſancti, quod probare conabatur ex 1. Corinth. 7. 12.

ARTICULUS IV.

De Canonicis Libris Vet. & Novi Teſtamenti.

COmplectimur autem ſacram Scripturam duobus illis voluminibus Veteris & Novi Teſtamenti, qui libri CANONICI vocantur, de quibus nulla eſt controverſia. Eorum hic eſt tum numerus, tum ordo in Eccleſia DEI receptus. *Quinque libri Moſis*, liber *Joſuæ, Judicum, Ruth, duo libri Samuelis, duo Regum, duo Chronicorum, qui & Paralipomenon* vocantur, *primus Eſdræ, Nehemias, Eſther, Iob* : item *Pſalmi Davidis*, tres libri Salomonis, nempe *Proverbia, Eccleſiaſtes*, & *Canticum Canticorum : quatuor Prophetæ Majo-*

tæ Majores, Esaias, Ieremias, Ezechiel & *Daniel:* adhæc *duodecim* etiam *Minores Prophetæ.* Novi porrò Testamenti libri Canonici sunt, *Evangelistæ quatuor* , divus scilicet *Matthæus, Marcus , Lucas , & Johannes : Acta Apostolorum : quatuordecim Epistolæ divi Pauli, & septem reliquorum Apostolorum : Apocalypsis divi Iohannis Apostoli.*

REMONSTRANTES quidam dubitare videntur de Canonicâ autoritate nonnullorũ librorum N.Testam. atque imprimis Epistolæ ad Hebræos , cujus autorem nonnemo inter ipsos dixit non videri scriptorem canonicum, quia cap. VII. ineptis utatur argumentationibus.

ARTICVLVS V.

De Auctoritate S. Scripturæ.

HOsce Libros solos recipimus tanquam sacros & Canonicos, quibus fides nostra inniti, confirmari, & stabiliri possit. Et credimus absque ullâ dubitatione ea omnia, quæ in illis continentur : idq; non tam quod Ecclesia illos pro Canonicis recipiat & comprobet, quàm quod Spiritus Sanctus nostris conscientijs testetur, illos à DEO emanasse: & eo etiam quod ipsi hanc suam

autoritatem per ſe ſatis teſtentur ac comprobent: quum & ipſi cæci rerum omnium, quæ in illis prædictæ fuerunt, impletionem & executionem clarè conſpicere, & veluti ſenſibus percipere poſſint.

Nonnemo inter REMONSTRANTES dixit in quadam collatione, ſe non credere propterea aliquid verum eſſe, quod Apoſtolus Paulus id ſcribat.

ARTICVLVS VI.

De diſcrimine Librorum Canonicorum & Apocryphorum.

DIfferentiam porrò conſtituimus inter libros hoſce ſacros, & eos quos Apocryphos vocant: utpote quod Apocryphos legere quidem Eccleſia poſſit, & documenta ex ijs deſumere in rebus, quæ conſentiunt cum libris Canonicis: at nequaquam ea eſt ipſorum autoritas & firmitudo, ut ex illorum teſtimonio aliquod dogma de fide & Religione Chriſtiana certò conſtitui poſſit: tantum abeſt, ut aliorum autoritatem infringere vel minuere valeant.

ARTICVLVS VII.

De Perfectione S. Scripturæ.

CRedimus etiam ſacrã hanc Scripturam perfectiſſimè omnem DEI voluntatem complecti, & in illâ abundè ea omnia doceri, quæcunque ab hominibus credi neceſſe eſt, ut ſalutem conſequantur. Itaque cum illic exactiſſimè & fusè deſcripta ſit omnis divini cultus ratio, quam DEVS à fidelibus exigit: nulli hominum (quamvis Apoſtolicâ dignitate prædito, ac ne ulli quidem Angelo è cœlo dimiſſo; ut divus Paulus loquitur) fas eſt aliter docere, quam jam pridem in ſacris Scripturis edocti ſumus. Quum enim vetitum ſit, ne quis DEI verbo quidquam aut addat, aut detrahat, ſatis eo ipſo declaratur ſacram hanc doctrinam omnibus ſuis numeris & partibus perfectam ac abſolutam eſſe. [Unuſquiſque itaque diligenter cavere debet, ne quid illi addat aut detrahat, quo ſapientia humana cum ſapientiâ divinâ commiſceri poſſit.] Ideóque cum hiſce divinis Scripturis, atque hac DEI veritate

ritate nulla alia hominum, quantavis ſan-
ctitate præditorum, ſcripta, nulla conſue-
tudo, nec multitudo ulla, nec antiquitas,
neq; temporum præſcriptio, nec perſona-
rum ſucceſſio, neque concilia ulla, nulla de-
nique hominum decreta aut ſtatuta confe-
renda aut comparanda ſunt, utpote quod
DEI veritas rebus omnibus antecellat. O-
mnes enim homines ſunt mendaces, [& il-
lorum ſapientia DEO ſubjici non poteſt]
ſunt ipsâ vanitate vaniores. Idcircò toto
animo rejicimus quæcunque cum certiſſi-
mâ hac regulâ non conveniunt, uti ab Apo-
ſtolis edocti, quum dicunt: *Probate Spiritus,
an ex DEO ſint*: Et, *Si quis venit ad vos, &
hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum do-
mum, &c.*

ARTICVLVS VIII.

De SS. Trinitate Perſonarum in unicâ Eſſentiâ Divinâ.

JUxta hanc Veritatem, & Verbum hoc
DEI, credimus in unicum ſolum DEUM,
qui unica atque æterna eſt eſſentia, diſtincta
reipſa

reipſa, verè, & ab æterno in tres Perſonas, quarum quæque ſuas habet proprietates incommunicabiles, nempe in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. 1. Pater cauſſa & origo & initium eſt omnium rerum tam viſibilium quam inviſibilium. Filius eſt Verbum, Sapientia, & Imago Patris. Spiritus Sanctus eſt æterna [atque eſſentialis] potentia & virtus procedens à Patre & à Filio. Ita tamen ut hæc diſtinctio non efficiat ut DEVS ſit veluti in tres partes diviſus: quandoquidem Scriptura nos docet, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ſuam quidem ſingulos habere hypoſtaſin ſeu ſubſiſtentiam proprietatibus ſuis diſtinctam: ita tamen ut tres hæ Perſonæ ſint tantùm unus & ſolus DEVS. 2. Certum igitur eſt Patrem non eſſe Filium, nec Filium eſſe Patrem, neque Spiritum Sanctum eſſe aut Patrem aut Filium. Interim tamen Perſonæ illæ ſic diſtinctæ, neque ſunt diviſæ, neque confuſæ, neque permixtæ. Neque enim Pater carnem humanam aſſumpſit, nec Spiritus Sanctus, ſed ſolus Filius. Pater nunquam ſine Filio ſuo fuit, nec ſine Spiritu ſuo Sancto, quia ſinguli in una

eâdemque essentiâ ejusdem sunt æternitatis. Nullus ex his aut primus aut ultimus est, quia omnes tres vnum sunt in veritate & potentiâ, in bonitate & misericordiâ.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Dogma de Trinitate Personarum in vnâ* DEI *essentiâ, non tantùm sensui communi, sed etiam divinis testimonijs apertè adversari.*

Ab HENR. WELSINGIO. *Libello de Offic.hom.Christ. fol. C.3. Evangelici* unà cum Pontificijs, non minus evidenter, quam *vehementer errant, quod* non Patrem tantum Domini nostri IESV Christi, illum unum DEVM nostrum, cœli terræque Creatorem esse, credunt, sed etiam ipsum IESVM *Christum, seu* DEI *Filium, nec non & Spiritum Sanctum eundem illum unum* DEVM *esse statuunt.* Quod non modo cum ipso sensu communi, ut ipsimet fateri tandem coguntur, manifestè pugnat, sed *divinis testimonijs apertè adversatur.*

Ibidem. fol. C.3. Pugnant hæc inter se, illum DEVM nostrum, cæli terræque Creatorem esse unum tantum numero, & *tres esse*, quorum unusquisque sit ille DEVS noster. *Item. Tres* vel etiam duæ *personæ esse nequeunt*, ubi est una tantum numero sive individua essentia, sed ad plures unâ personas constituendas, plures etiam unâ individuæ essentiæ requiruntur.

II. *Singulas Personas divinas habere propriam suam Essentiam.*

A CORN. VORSTIO, *Disp. de* DEO, *pag.208.* Sunt *tres saltem, si non plures diversæ res in* DEO. Et contradictio quædam videtur esse, rem ullam verè existere, quæ non habeat suam quandam *propriam essentiam*,

---

ARTI-

ARTICVLVS IX.

De SS. Trinitate.

HÆc verò omnia cognoſcimus tam ex Sacræ Scripturæ Teſtimonijs, quam ex Effectis, ijs potiſſimùm, quæ nos in nobiſmet ipſis ſentimus. Et ſacræ quidem Scripturæ Teſtimonia, quæ nos docent ſacram hanc Trinitatem credere, paſſim in Veteri Teſtamento occurrunt; quæ non tam numeranda, quam certo judicio ſeligenda ſunt. Qualia hæc ſunt, Geneſeos primo dicit DEVS, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, &c.* Et mox, *Creavit itaque DEVS hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, marem, inquam, & fœminam creavit eos.* Item, *Ecce Adam tanquam unus noſtrûm factus eſt.* Ex eo enim quod dicitur, *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram,* apparet pluralitatem eſſe Perſonarum in Deitate. Quum autem dicitur, DEVS *creavit, &c.* indicatur unitas Divinitatis. Verum quidem eſt hic non exprimi, quot ſint perſonæ: tamen quod in Veteri Teſtamento

obſcurè traditum eſt, id in Novo nobis clarè admodùm exponitur. Cum enim Dominus noſter IESVS Chriſtus in Iordane baptizaretur, *Patris* vox audita eſt dicentis, *Hic eſt Filius meus dilectus:* & *Filius* ipſe in aquis eſt viſus: *Spiritus* verò *Sanctus* ſub ſpecie columbæ apparuit. [An non igitur tres ſunt?] In communi omnium fidelium Baptiſmo hæc formula à Chriſto inſtituta eſt: *Baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Sic etiam in Evangelio Lucæ, Angelus Gabriel, Mariam Domini noſtri matrem alloquitur: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi inumbrabit te, propterea id quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius* DEI. [Videmus hic nominari *Patrem* Altiſſimum, poſteà *Filium* DEI, qui ex Virgine natus eſt, & *Spiritum Sanctum*, qui Virginem inumbravit.] Item, *Gratia Domini noſtri* IESV *Chriſti, & charitas* DEI, *& communicatio Spiritus Sancti ſit vobiſcum.* [Atque hic videmus clarè tres nominari.] Item, *Tres ſunt qui teſtificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Quibus omnibus locis pleniſſimè docemur in unico

unico DEO tres esse Personas. I. Etsi autem hæc doctrina omnem humani ingenij captum superet, illam tamen nunc ex verbo DEI firmiter credimus, expectantes donec in cœlo plenè illius cognitione fruamur. Notanda porrò sunt etiam harum trium Personarum singularia officia & effecta, quæ erga nos singulæ exerunt. Pater enim vocatur Creator noster per virtutem ipsius; Filius noster Servator per sanguinem ipsius, Spiritus Sanctus est Sanctificator noster per inhabitationem ipsius in cordibus nostris. Atque hanc de SS. Trinitate doctrinam jam inde ab Apostolorum ætate ad hæc usque tempora semper vera retinuit Ecclesia, & adversus *Judæos*, *Mahumetanos*, aliosque pseudochristianos & hæreticos defendit, quales fuerunt *Marcion*, *Manes*, *Praxeas*, *Sabellius*, *Samosatenus*, [*Arius*] & similes, qui omnes jure meritóque ab orthodoxis Patribus condemnati sunt. Recipimus itaque libenter hic tria illa *Symbola*, nempe *Apostolorum*, *Nicenum* & *Athanasij*, & quæcunque de hoc dogmate juxta illorum Symbolorum sententiam [sacra Concilia] statuerunt.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Nulla extare testimonia in S. Scripturâ, quibus Trinitas Personarum in Deitate probari possit.*

Ab H. WELSINGIO, *Lib. de Off. hom. Christ. fol.* C. 4. Perquirant Evangelici Scripturas quamdiu velint, *nunquã* dogma istud de Trinitate *in illis expreßum* invenient. Sed neque vel apertè *vel obscurè* id colligi deprehendent. Quinimò (ut interim de Scripturæ testimonijs dogma istud apertè damnantibus aliquid explicatius dicamus) planè *contrariam sententiam in S. literis* consignatam reperient.

ARTICVLVS X.

De æterna Deitate Filij DEI, *Domini nostri* IESV *Christi.*

CRedimus IESVM CHRISTVM respectu naturæ ipsius divinæ, esse unicum DEI Filium, 1. ab æterno genitum, 2. non factum aut creatum, sic enim esset creatura, sed Patri ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον, seu ejusdem cum Patre essentię, eique coęternum, characterem, seu veram imaginem, ὑποστάσεως Patris & splendorem glorię ejus, in omnibus [& per omnia] ei ęqualem. 3. Est autem is Filius DEI non tantum ab eo tempore, quo naturam nostram

ſtram humanam induit, ſed ab æterno, uti hæc teſtimonia inter ſe collata nos docent. Moſes ait DEVM *creaſſe mundum*: At divus Iohannes *per Sermonem*, *quem* DEVM vocat, *omnia facta fuiſſe dicit.* [Et quem D. Ioannes *Sermonem* vocat, eundem D. Paulus *Filium* vocat] *aſſerens*, DEVM *per Filium ſuum ſecula ſeu mundum condidiße.* [Præterea docet D. Paulus DEVM *omnia per* IESVM *Chriſtum creaße.*] 4. Sequitur itaque cum, qui & DEVS, & Sermo, & Filius, & IESVS Chriſtus dicitur, jam tum extitiſſe, quum ab ipſo omnia condita fuerunt. Idcirco Michæas Propheta inquit, *Exitus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Item, [*Eſt primogenitus omnis creaturæ*] &, *Eſt abſque initio dierum, & abſque fine vitæ.* [Pſalmo ſecundo, *Filius meus es, ego hodie genui te: Oſculamini Filium.*] Eſt igitur ille verus & æternus DEVS, omnipotens ille, quem invocamus, adoramus, & colimus, 5. [omnibus diebus vitæ noſtræ.]

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. IESVM *Chriſtum non vocari Filium Dei, reſpectu naturæ ipſius divinæ.*

Ab HENR. WELSINGIO, *De offic. hom. Christ. fol.* D. 1. Sequitur hominem illum IESUM Nazarenum *sine ullâ divinæ* cujusdam alterius *essentiæ*, quam ipse habeat, *consideratione*, esse unicum DEI Filium.

Ibidem. fol. D. 2. Concludendum est igitur Filium DEI unigenitum *non esse substantiam quandam divinam*, ex ipsâ substantiâ DEI genitam, quæ humanam naturam induerit.

A VORSTIO, *Disp. de* DEO, *pag. 432.* Christus *quà homo est, & quà Mediator à* DEO *constitutus*, hoc respectu etiam unicus & singularissimus DEI Filius appellari debet.

II. *Christum appellari* DEI *Filium, non quod ab æterno à Patre sit genitus, sed propter ejus in tempore ortum seu nativitatem ex Virgine, resurrectionem, & personæ regiæ seu muneris excellentiam.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. C. 7.* Nihil apud sacros autores legimus, quod nobis persuadere queat, aut saltem innuere, DEUM ex suâ substantiâ generare. Quod enim *Psalm 2. 7.* dicitur, *Ego hodie genui te*, id *non ad æternam aliquam generationem* (unde saltem consequenter illa substantialis, ut sic dicam, generatio elici possit) sed *ad eam quæ in tempore*, ut loquuntur, & nominatim respectu Christi, *in die Resurrectionis* facta est, referri debere, cum alia multa.tum præsertim loca illa *Act. 13. 33. Rom. 1. 4.* Satis evidenter ostendunt.

Ibidem. Cur IESUS Christus DEI Filius appelletur, nempe unicus & singularis ille DEI filius, duplex est caussa, altera, videlicet, *quæ ad ejus ortum & nativitatem pertinet*: altera, quæ ejusdem dignitatem, *& personæ, quam sustinet, excellentiam* respicit, sine ullâ ipsius *essentiæ quæ aliorum filiorum* DEI essentiâ *præstantior.* ab eâve *diversa* sit, vel mentione vel consideratione.

Ibidem. fol. C. 8. Priorem caussam expressit ipse Angelus Gabriel, inquiens ipsi virgini, mox IESU Christi futuræ matri, *Luc. 1. 35. Spiritus S. superveniet te, & virtus altis-*

altißimi inumbrabit te , ideoq́ quod ex te naſcetur, vocabitur Filius DEI. Vides *modum conceptionis & primæ exiſtentiæ illius hominis* IESV Nazareni cauſſam eſſe, ut ipſe homo IESVS Nazarenus, qui Chriſtus eſt, DEI *Filius* appelletur, & quidem conſequenter *ſingularis* ſive *unicus, & unigenitus* DEI *Filius*, quandoquidem nemo alius unquam talem à DEO ſui ipſius originem & generationem habuit. *Ibidem.* Vides hic rurſus hominis illius IESV Nazareni, *ſummam poſt* DEVM *dignitatem, & regiæ perſonæ*, quam in ipſo DEI populo ſuſtinet, omnium maximam *excellentiam* cauſſam eſſe, cur ſit ille unicus & ſingularis DEI Filius.

Ibidem.fol.D.1. Ipſe Chriſtus ſatis apertè docuit, idem eſſe in ipſo, quòd ſit Chriſtus, & quod ſit Filius DEI, cum *Ioan.10.36.* Iudæis oſtendens, cur ſe appellaſſet DEI Filium, rationem attulit, quod Pater ipſum ſanctificaſſet, & in mundum miſiſſet.

A CONR. VORSTIO. *Lib. de Filiatione Chriſti, pag. 19.* Nullo pacto fieri poteſt, ut DEVS *aliquem ex ſuâ ſubſtantiâ generet.*

Ibidem.pag.37. Aeterna & ineffabilis *generatio Filij* ex ſubſtantia Patris *neque ſacris literis explicatur.*

Ibidem. In Chriſto homine *triplex divina Filiatio*, ſeu ex DEO generatio obſervanda eſt. Prima pertinet *ad hominis Chriſti ortum.* Secunda *ad ſanctificationem , ſive unctionem illam divinam*; quâ etiam tum, cum mortalis homo eſſet, à DEO inſtructus fuit. Tertia *adglorioſam reſurrectionem.*

Ibidem. pag. 44. De primâ Filiatione inquit Angelus: *Luc.1.55. Propterea quod virtus altißimi te inumbrabit*, &c: *Ibidem. pag. 49.* De ſecundâ Filiatione ſuâ divinâ ipſe Chriſtus diſſerit *Ioan. 10.35.36. Si illos dixit* DEOS &c. quibus verbis ſignificat Chriſtus ſe propterea meritò vocari Filium DEI, quia ſit à Patre ſuo ſanctificatus, hoc eſt, Spiritum S. copioſè nactus , & cum divino imperio

 ac po-

ac poteſtate in mundum miſſus ad ſervandum genus humanum.

Ibidem. pag. 59. De poſtremâ eâque perfectiſſimâ Chriſti hominis Filiatione divinâ diſſerit Apoſtolus, *Act.13.32.33.* Ubi docet Chriſtum à DEO fuiſſe reſcuſcitatum à mortuis, atque ita impletum illud *Pſalm.2.7.Et pag. 64.* Neque deſunt, qui locum *Rom. 1. 4.* ita exponant, ut doceant Chriſtum hominem juxta carnem mortalem, naturâ quidem ex ſemine Davidis eſſe factum: juxta Spiritum verò, quo fuit à Patre ſanctificatus, Filium DEI eſſe definitum, ſeu *definitâ* aut perfectâ *quadam ratione factum*, nempe *per reſurrectionem è mortuis.*

III. *Filium* DEI *ſecundum Deitatem ſuam non eſſe Patri æqualem.*

A CONR. VORSTIO, *Diſp.de* DEO, *pag.*185. Scripturæ Patri ſuam *prærogativam ſemper* aſſerere ſolent, præſertim ubi conjunctam illius ſimul & Chriſti mentionem faciunt. Exempli gratiâ *Ioan. 1. 1.* dicitur *cum articulo*, *Et ſermo erat apud τὸν Θεὸν* videlicet Patrem,qui *κατ᾽ ἐξοχὴν* ſolet appellari DEVS. Verùm ſtatim de Chriſto ſubjicitur, *Et ſermo erat Θεὸς, abſque articulo.*

Ibidem.pag. 179. In N.T. quoties DEI Patris ſimul & Chriſti mentio fit,toties *Pater κατ᾽ ἐξοχὴν* DEVS, Filius autem *Dominus* appellatur: qui propterea etiam alibi Chriſtus Domini ſeu Iehovæ, vel Chriſtus DEI appellatur, ut *ſubordinatio* ejus ad DEVM Patrem, à quo *totus ipſe pendet*, obiter hac phraſi indicetur.

A WELSINGIO, *de Offic. hom. Chriſt.fol. C. 5.* Quod ſi loca penè innumerabilia, in quibus Chriſtus ab illo uno DEO diſtinguitur, non ſatis ſint ad perſuadendum unicuique, *Chriſtum non eſſe illum unum* DEVM, certè illud ſatis ſuperque eſſe debet, quod IESVS Chriſtus illius unius DEI Filius paſſim appellatur. *Articulus* enim *in Græco* nomini DEI additus *unum illum* DEVM. ſignificandi vim habet. Quare ſi Chriſtus unius illius DEI Filius eſt, nul-

eſt, nullâ ratione fieri poteſt, ut ipſe Chriſtus ſit unus ille DEVS.

Ab ADOL. VENATORE, *contra Paſt. Dord. pag.* 57. 58. 59. Exiſtimo neminem debere conſtringi, ut in doctrinâ de Deitate IESV Chriſti, *agnoſcat vocem* ὁμοούσιος, Nam vox hæc primum *conficta fuit* in Concilio Niceno, in quo Epiſcopi, qui hanc vocem ibi decreverunt, in duobus apertiſſimè errarunt: Primum erat quod hi egregij, ſi Dijs placet, Epiſcopi decreverant, non licere Miniſtris verbi divini per omnem vitam ſuam unquam uxores ducere. Alterum, quod ut confeſſioni de hac voce ὁμοούσιος ab ipſis decretæ, fidem aliquam facerent, eandem impoſuerint ſepulchris duorum Epiſcoporum defunctorum, cum invocatione ad defunctos illos factâ, ut huic confeſſioni in ſignum & teſtimonium veritatis cum ipſis ſubſcribere vellent. Et poſtero mane reverſos ipſos inveniſſe confeſſionem hanc, quam obſignatam ſepulchro impoſuerant, duorum iſtorum Epiſcoporum manibus ſubſignatam. *Niceph. Hiſt. Eccl. l. 8. c. 23.*

Ibidem. pag. 61. Nolo etiam *Conſtantini* ſententiam improbare, cum exiſtimaret *Alexandrum* & *Arium* in pace potuiſſe manere, & unitatem fidei ſervare, utrumque in ſententiâ ſuâ perſiſtentem, nec neceſſe fuiſſe ut hac de re contenderetur, ſed fuiſſe tantum ſubtilitates quaſdam minimè neceſſarias, de quibus inter ipſos contendebatur. *Euſeb. in vita Conſtant. lib. 2. cap. 63. & ſeqq.*

Theol. meræ & veræ præfat. pag. 24. 25. Celeberrimum primum Concilium, quod in Chriſtianitate publicâ, magno cum apparatu, eſt celebratum, fuit *Concilium Nicenum, in quo multi fuerunt abuſus*, & nulla alia miracula facta, quam hoc ſequens, quod deſcribit Nicephorus, lib. 8. c. 23. &c. An poterant *Epiſcopi*, qui Symbolum hoc *de Deitate* IESV, & de articulo *de Trinitate* ita *compoſuerant* & concluſerant, hoc uti medio, quod in Scripturis tam rigidè vetatur?

Theol. mera & vera, pag. 24. 25. Quæst. An ergo IESVS *unum est cum Patre? Resp.* Ita ipse loquitur apud Ioannem Evangelistam, cap. 10. ℣ſ. 30. *Ego & pater unum sumus. Quæst.* An voluntas IESV semper *una fuit cum voluntate Patris?* & an unquam illi repugnavit? *Resp.* Ille semper *unus erat voluntate* cum Patre. Quæst. Cum passurus erat, an *tum unus erat cum Patre*, & voluntatem suam DEI voluntati subjiciebat? Resp. Patet idipsum ex ipsius precatione Marc. 14. 36. *Quæst.* An non omnes quoque *fideles unum esse* debent *cum* DEO, & cum IESV, idem sentire, & eandem habere voluntatem? *Resp.* Omninò hoc necessarium est: &c. *Quæst.* Explica mihi totam seriem, quomodo *nos unum cum* DEO, & naturæ ipsius participes fiamus? Resp. Idipsum nobis egregiè describit Apostolus Petrus, 1. Epist. cap. 1. à ℣ſ. 2. ad 12.

Ab ARMINIO *Declar. ad Ord. Holl. p. 64.* Nullo modo tanquam benè dictum excusari potest, Filium DEI αὐτόθεον esse.

A P TRO CVPO, *contra Smout. pag. 56.* Non est doctrina hæretica, neque unquam in quoquam damnata, docere Filium DEI non esse αὐτόθεον.

A S. EPISCOPIO, *Disput. privat. 11. corol. 3.* An Filius sit αὐτόθεος? Distingui quidem posse, sed propter periculum abstinendum putamus.

Notandum est hic diligenter, quod etiam VORSTIVS benè docet, *Disput. de Causis deser. Pap. 22. Thes. 10.* eos qui negant Christum respectu essentiæ divinæ αὐτόθεον rectè vocari, non posse statuere Christum, quoad absolutam Deitatis essentiam, esse hunc ipsum unum numero DEVM, qui prorsus sit independens.

IV. *Ex opere creationis, quod Filio attribuitur, non posse probari ejus æternam Deitatem.*

A VORSTIO, *Disput. de* DEO, *pag. 125.* Quod Zanchius ex eo colligit æternitatem DEI, quod Heb. 1. 2. & 11. 3. dicitur

dicitur ipse *secula condidisse*: non satis solidum est argumentum: cum per absolutam DEI potentiam *fieri possit, ut qui ipse aliquando ortus est*, per donatam DEI virtutem *mundum* aliquem ex subjectâ seu præparatâ materiâ *constituat*, ex quo deinde multa secula ex ordine fluant.

V. IESVM *Christum non esse verum & æternum* DEVM.

A WELSINGIO, *Lib. de Offic. hom. Christ. fol. C. 5.* Ex quo necessariò sequitur, ne ipsum quidem IESVM Christum esse illum DEVM. *Ibidem.* Quare ne ipse quidem IESVS Christus est ille noster unus DEVS. *Ibidem.* Fieri non potest, ut ipse Christus sit unus ille DEVS.

Ibidem. pag. C. 6. Et satis hæc in præsentiâ esse volumus, ad istum *insignem Evangelicorum errorem* patefaciendum, dum unà cum Pontificijs, statuunt, non solum IESV Christi Patrem, sed etiam tam DEI Filium, quam Spiritum S. esse illum unum DEVM nostrum, cœli terræque creatorem.

P. CVPVS affirmavit Ioanni Taurino, esse jnter *Remonstrantes*, qui dubitent de æternâ Deitate IESV Christi.

REMONSTRANTES nonnulli palàm professi fuerunt, se in S. Scripturis nullum invenire potuisse argumentum, ex quo æterna Deitas IESV Christi solidè probari possit.

ARTICVLVS XI.

De Personâ, & æterna Deitate Spiritus Sancti.

CRedimus etiam & confitemur Spiritum Sanctum à Patre & Filio ab æterno procedere: itaque nec factum, nec crea-

tum, nec genitum fuisse, sed ab utroque tantum procedentem, qui ordine tertia est Trinitatis Persona, 1. ejusdem essentiæ, gloriæ & majestatis cum Patre & Filio. Ideoque & ipse verus & æternus DEVS est. 2.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Spiritum Sanctum non esse Personam, sed tantum vim atque efficaciam quandam* DEI.

Ab HENR. WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. D.3.* Esset hic aliquid dicendum de Evangelicorum *errore, quod Spiritus S. sit Persona. Ibidem.* Hinc sequitur eum *ne Personam* quidem esse, sed *vim atque efficaciam* DEI, quâ res aliquo modo sanctificantur.

Ab HENR. SLATIO, *Epist. ad N. 9. Mart. A. 1608. Potentia* DEI *est Spiritus* narium & oris DEI, hoc est, est potentia, quam DEVS de se sparsit, postquam *in tempore* creare cæpit. Cæpit autem creare, cum Spiritum edere, hoc est, spirare inciperet. Et hæc quidem potentia *essentialis* DEI *potentia non est*, etiamsi procedat ab essentiali potentia; quemadmodum lux Solis origo atque principium est luminis aërij, quo Sol, ceu instrumento, utitur ad omnes suas operationes.

II. *Spiritum Sanctum non esse verum ac æternum* DEVM, *cum Patre & Filio.*

Ab HENR. WELSINGIO, *Lib. de Off. hom. Christ. fol. C. 6.* Et satis hæc in præsentiâ esse volumus, ad istum *insignem Evangelicorum errorem* patefaciendum, dum, unâ cum Pontificijs, statuunt non solum IESV Christi Patrem, sed etiam tam DEI Filium, quam *Spiritum Sanctum esse illum unum* DEVM *nostrum.*

Ibidem.

Ibidem. D. 3. Ex quo conſequitur, *ſi Spiritus S. non eſt divinæ* ejus *eſſentiæ* perſona, ejus vim atque efficaciam eſſe.

ARTICVLVS XII.

De Creatione Mundi: & de Angelis.

CRedimus Patrem per Verbum ſuum, hoc eſt, per Filium cœlum, terram, & reliquas creaturas omnes ex nihilo creaſſe, cum illi viſum fuit opportunum, ſingulisque ſuum eſſe, formam, & varia officia tribuiſſe, ut Creatori ſuo inſervirent. Eumque nunc illas fovere, ſuſtentare, & regere, ſecundum æternam ſuam Providentiam, & per immẽſam virtutem ſuam. Idque ut illæ quidem Homini, Homo verò DEO ſuo inſerviat. Creavit etiam Angelos, omnes naturâ bonos, ut miniſtri ipſius eſſent, & electis etiam inſervirent: quorum tamen nonnulli ab excellenti illa naturâ, in qua eos DEVS creârat, in perditionem æternam deciderunt: alij verò ſingulari DEI gratiâ, in primo illo ſtatu ſuo perſtiterunt. Diaboli quidem & cacodæmones illi ita corrupti & depravati ſunt, ut & DEI & omnis boni conjurati ſint hoſtes,

hoſtes, qui Eccleſiæ & ſingulis ipſius membris tanquam prædones è ſpeculâ omnibus viribus inſidiantur, ut impoſturis ſuis ac deceptionibus omnia deſtruant atque peſſundent: [atque adeò quidem ut ſe adorari ab omnibus velint, quem in finem multa hominibus pollicentur: neque mirum hoc eſt, cum Diabolus Chriſtum auſus fuerit aggredi, eumq; permovere ut ipſum adoraret.] Idcircò propriâ ſuâ malitiâ perpetuæ condemnationi addicti, expectant indies horrenda ſuorum facinorum ſupplicia ac tormenta. Reſpuimus itaque atque execramur hoc loco *Saducæorum* errorem, qui Spiritus ullos aut Angelos eſſe negarunt. Item & *Manichæorum* errorem, qui aſſerunt Diabolos ex ſeipſis originem ducere, & ex propriâ ſuâ naturâ malos eſſe: non autem corruptos per inobedientiam voluntariam.

ARTICULUS XIII.
De Providentiâ DEI.

CRedimus DEUM hunc Opt. Max. poſtquam res omnes creaſſet, eas minimè
ſortis

ſortis aut fortunæ arbitrio commiſiſſe, ſed ipſummet illas ex præſcripto ſacroſanctæ ſuæ voluntatis ita aſſiduè regere & gubernare, ut nihil in hoc mundo abſque illius decreto atque ordinatione contingat: 1. quanquam tamen DEVS malorum, quæ in hoc mundo accidunt, neque auctor, neque reus dici poſſit. 2. Tam latè patet infinita & incomprehenſibilis illius tum potentia tum bonitas, ut tunc etiam opera & actiones ſuas ſanctè & juſtè decernat atq; exequatur, quum & Diabolus & impij injuſtè agunt. Quæcunque verò ille agit, humanum captum excedentia, de ijs nolumus curiosè & ſupra noſtrum captum inquirere: quinimò ſecreta & juſta tamen DEI judicia humiliter & reverenter adoramus. Sufficit enim nobis, quod Chriſti diſcipuli eſſe poſſimus, & ea duntaxat diſcamus, quæ ipſo verbo ſuo nos docet, neque hos fines tranſilire volumus. Hæc verò doctrina immenſam nobis adfert conſolationem. Ex illâ enim agnoſcimus nihil nobis fortuitò contingere, ſed omnia Patris noſtri cœleſtis voluntate, 3. qui pro nobis verâ paternâ curâ excubat, omnia ſibi

ſubdita habens, ita ut ne pilus quidem capitis noſtri (qui omnes ad unum numerati ſunt) evelli, nec minimus paſſerculus humi cadere, ſine Patris noſtri voluntate, poſſit, His itaque penitus acquieſcimus, agnoſcentes DEVM diabolos & inimicos noſtros omnes veluti habenis ita frænatos continere, ut ſine ipſius voluntate & bonâ veniâ, nemini noſtrum nocere valeant. Atque hoc loco deteſtandam *Epicuræorum* opinionem rejicimus, qui DEVM otioſum, & nihil agentem, omniaq; fortunæ & caſui committentem finxerunt.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Multa in hoc mundo contingere, quæ non fiant ex decreto atque ordinatione* DEI, *ſeu ex præſcripto voluntatis ſuæ.*

A CON. VORSTIO, *Diſp. de* DEO, *pag. 64.* De voluntate, ſeu propoſito & conſilio DEI ſpeciali, non ſemper ex eventu judicandum eſt. Multa enim *fiunt*, *quæ* DEVS fieri *non vult: nec ſemper fiunt, quæ* ipſe fieri *vult.*

Ibidem. pag. 65. Legimus DEVM poſtmodum quædam nolle facere, quæ anteà facturum ſe receperat, imò juraverat: Item velle jam ea facere, adeoque reipſa jam facere, quæ tamen *anteà minimè* ſe facturum prædixerat. *Item.* Non quidquid DEVS vult ab æterno, in æternum vult. Quædam in tempore reipſa *vult, quæ anteà* ſic nominatim atque id ſpecie *noluit.*

Ibidem.

Ibidem.pag.306. DEI voluntas aliquo modo mutabilis est in ijs, quæ ſub conditione vult, vel quæ fieri tantum deſiderat, vel quæ etiam fortaſſis *indefinita prorſus relinquit. Item.* Quæ verò *indefinita relinquit, de ijs nulla eſt* DEI *certa voluntas.* Ergo cum hæc à nobis fiunt, non poteſt dici voluntas ipſius mutata, quippe *quæ ſpecialis hic nulla fuit*: nulla, inquam, vt fierent vel non fierent præcisè.

Ibidem.pag.307. Neque enim dubium eſt, DEVM olim quædam definitè voluiſſe, quæ jam non ita vult, ac ne velle quidem poteſt, quo quidem modo tunc voluit: & contrà quædam jam velle, *quæ* tunc *noluit.*

Ibidem. Erratur cum ex decreto DEI colligitur, *omnia* omninò in ſpecie *quæcunque in mundo accidunt*, ſimiliter ab æterno *fuiſſe à* DEO *definita.*

Ibidem.pag.108. Si *omnia* & ſingula rerum eventa præcisè & ab æterno *definita fuiſſent*, nihil opus eſſet continuâ rerum inſpectione & procuratione.

Ibidem. Conſtat DEVM in tempore *multa* facere, quæ anteà prædixerat *minimè ſe facturum*, & contrà multa nunc omittere, quæ anteà facturum ſe prædixerat. *Item.* Nec dici poteſt, *ea tantùm*, quæ reipſa fiunt, jam olim ab æterno *definita* eſſe. *Item.* DEVS *definita* ſibi fuiſſe ſeriò teſtatur etiam ea, *quæ* reipſa *non fiunt.*

Ibidem.pag.312. Nihil abſurdi ex eo ſequitur, quod DEVS in tempore quædam *præcisè ac definitè velle vel nolle* dicitur, quæ fortaſsis *anteà non* ita præcisè vel voluit vel noluit: quemadmodum nec abſurdum eſt DEVM nunc quædam in ſpecie *velle deſinere*, quæ anteà reipſa *voluit.*

Paraſc.pag.4. Quæ DEVS liberè prorſus & contingenter à nobis fieri vult, ea potentius aut efficacius, quam *per modum voti & deſiderij* velle non poteſt.

A IAC. ARMINIO, *Contra Perkinſ.pag.120.* Quod DEVS vult ut fiat, hoc efficaciter efficit. Quod vult ut non fiat, hoc efficaciter impedit. Quod *neque vult ut fiat, neque vult ut non fiat*, hoc permittit creaturæ.

Ibidem. pag. 121. Ex *eventu* alicujus rei non poteſt concludi *Deum voluiſſe* ut eveniret.

A SIM. EPISCOPIO, *Diſput. de Volunt.* DEI. *Theſ. 4.* Etſi malum aliquod per accidens propter ſapientiſſimam DEI directionem boni occaſio fieri aut eſſe poſſit, tamen malum ipſum *ullâ ratione* propterea ſanctiſſimum DEVM *velle* dicendum non eſt.

Ibidem. Theſ. 21. Sanctiſſimo DEO, ſumma injuſtitia & hypocriſis tribui deberet, ſi arcanâ *voluntate definiret & ordinaret* ut fiant ea, quæ revelatâ prohibet, & fieri non vult.

Dſp. privat. 6. de Vol. DEI, *Corol. 5.* De volitionibus DEI *non* eſt *ex eventu* judicandum. *Item.* An non multa fiant, quæ DEVS fieri *non vellet?* Affirmamus.

II. DEVM *ſtatui auctorem malorum, quæ in mundo accidunt, cum docetur nihil in hoc mundo contingere abſque illius decreto atque ordinatione.*

A VORSTIO, *Diſp. de* DEO, *pag. 308.* Sequeretur DEVM *eſſe auctorem omnium ſcelerum, ſi omnia* & ſingula, quæcunque in mundo fiunt, tam mala quam bona jam olim ab omni æternitate non modo infallibiliter præviſa, ſed etiam efficaciter atque abſolutè à DEO *præfinita ſunt.*

A IAC. ARMINIO, *Contr. Perk. pag. 109. 110.* Bellarminus objicit ſententiæ quorundam Doctorum noſtrorum, inde ſequi DEVM *eſſe peccati auctorem*; DEVM *verè peccare*; DEVM *ſolum peccare, & peccatum non eſſe peccatum.* Nulla mihi videtur per iſtam criminationem tuæ doctrinæ (Perkinſe) injuria illata eſſe.

Artic. perpend. pag. 15. Doctoribus noſtris impingi poſſe videtur, quod ex ipſorum doctrinâ ſequatur, DEVM *auctorem eſſe peccati,* quia docent DEVM *ordinaſſe*, ut homo peccaret.

III. *Multa, etiam reſpectu decreti divini, in hoc mundo contingenter, ſeu fortuitò, evenire.*

A CON.

A CON. VORSTIO, *Disp. de* DEO *pag. 308.* Omnia omninò in ſpecie quæcunque in mundo accidunt, ab æterno fuiſſe *a* DEO *definita* facilè *refellitur*, quia ſic *nulla eſſet* in univerſo mundo *contingentia*, nulla quoque arbitrij libertas. *Item.* DEVS *definita* ſibi fuiſſe ſeriò teſtatur, etiam ea *quæ* reipſa *non fiunt*.

Ibidem. pag. 64. Non ſemper fiunt quæ DEVS fieri vult.

A IAC. ARMINIO, *Reſponſ. ad Art. 31. pag. 94.* Non modo perperam, ſed & imperitè dicitur, rem quæ reſpectu ſecundarum cauſſarum *contingenter* fit, *reſpectu decreti divini fieri neceſſariò*.

Ibidem. pag, 95. Nego quod oſſa Chriſti *reſpectu decreti divini* non potuerunt frangi.

Ibidem. Nihil itaque arbitror à me peccatum eſſe, quum dixi, Nihil rerum contingentium, hoc eſt quæ *contingenter* fiunt, ſeu factæ ſunt, dici poſſe *neceſſariò fieri* vel factum eſſe *reſpectu decreti divini*.

Artic. perpend. pag. 6. Neque benè dictum, Omnia evenire *neceſſariò reſpectu decreti divini*.

Ibidem. pag. 17. Adam non eſt lapſus *ex decreto* neque ex ordinatione DEI. *Item.* Adam non eſt lapſus neceſſariò, *neque decreti*, neque ordinationis *reſpectu*.

A SIM. EPISCOPIO, *Diſp. de Pecc. Adami Theſ. 18.* Neque verò *reſpectus decreti divini* quidquam facere nobis videntur ad hoc, ut actus liberi, *neceſſarij* etiam dici poſſint.

ARTICVLVS XIV.

De Hominis Creatione, Lapſu *&* *Corruptione.*

CRedimus DEVM ex limo terræ hominem ad imaginem ſuam creaſſe, bo-

num, justum, & sanctum [atque in omnibus planè perfectum,] qui proprio arbitrio suam voluntatem ad Dei voluntatem componere & conformem reddere possit. 1. [Deus itaque eum creavit constantem duabus partibus, corpore & animâ: corpus è terrâ conditum fuit, Spiritum verò & vitam DEUS ei inspiravit: adeò ut in homine tanta conspiciatur excellentia, ut humanum ingenium illi exprimendæ par non sit. Ejusmodi eum fuisse David testatur, ut nihil illi amplius deesset, quam quod DEUS non esset. *Gloria & honore coronatus fuit.*] Verùm cum in honore esset, nescivit, & excellentiam suam non cognovit [jumentis similis factus est:] sed seipsum sciens & volens peccato, & per consequens morti ac maledictioni subjecit: dum Diaboli verbis, & imposturis aurem præbens, mandatum vitæ transgressus est, quod à Domino acceperat, seq; à DEO, verâ ipsius vitâ per peccatum subduxit atque alienavit, & totam ipsius naturam corrupit ac vitiavit. Quo factum est ut morti tum corporali, tum spirituali sese obnoxium reddiderit, 2. improbus atque perversus

perversus effectus fuerit, atque in omnibus vijs & studijs suis corruptus, & præclara illa dona omnia amiserit, quæ à DEO acceperat: adeò ut non nisi exiguæ illorum scintillæ & vestigia exilia illi relicta sint, quæ sufficiant ad homines reddendos inexcusabiles, [sed nequaquam ad nos bonos ac DEO probatos efficiendos] quoniam quidquid in nobis est lucis in cæcas tenebras est conversum, ut & Scriptura ipsa docet, dicens, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ibi enim Iohannes manifestè homines tenebras vocat. 3. [Atque in Psalmo dicitur: *Penes te Domine est fons vitæ, & in luce tuâ clarè videmus lucem.*] Idcircò quæcunque de libero hominis arbitrio [adversus hæc] traduntur, ea nos meritò rejicimus, quum homo sit *servus peccati*, nihilque boni ex se possit, *nisi datum sit illi de cœlo.* 4. Quis enim jactare audeat se, quæcunque voluerit, præstare posse, cum Christus ipse dicat, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum?* [D. Paulus testatur naturalem hominem talem esse, qualem Adamus in lapsu suo produxit.] Quis voluntatem

luntatem ſuam oſtentet, qui intelligat omnes *carnis affectus inimicitias eſſe adverſus* DEUM? Quis de intelligentiâ ſuâ gloriabitur, qui ſciat *animalem hominem non eſſe capacem eorum quæ ſunt Spiritus* DEI? In ſummâ, quis vel ullam ſuam cogitationem in medium proferat, qui intelligat *nos non eſſe idoneos ex nobis ipſis ad cogitandum quidquam, ſed quod idonei ſumus, id omne ex* DEO *eſſe.*? 5. [Cogitare minus eſt quam facere] Certum ergo & firmum manere oportet, quod Apoſtolus dixit, DEUM *eſſe qui efficit in nobis & ipſum velle, & ipſum efficere, pro gratuitâ ſuâ benevolentiâ.* 6. Nulla enim intelligentia, nulla voluntas eſt menti & voluntati DEI conformis, quam Chriſtus in homine non ſit operatus: quod & ipſe nos docet, dicens, *Sine me nihil poteſtis facere.* [Chriſtus etiam & hoc dicit, *Qui peccatum facit, ſervus eſt peccati.* Ubi ergo eſt liberum ejus arbitrium?]

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Hominem non fuiſſe creatum cum juſtitiâ originali, ſed ante lapſum etiam habuiſſe proclivitatem ad peccandum.*

A WELSINGIO, *Lib. de Offic. hom. Chriſt. fol. E.3.* Secundus

dus hujus generis Evangelicæ doctrinæ *error* ſit, quod Adamo ante peccatum *juſtitiam quandam originalem* tribuunt, quam, videlicet, ſimul atque eſt creatus, ex DEI gratiâ habuerit.

A IAC. ARMINIO, *Artic. perpend. pag. 10.* Citra læſionem DEI, Adami, & ipſius veritatis dici poteſt, Adamum non accepiſſe neque habuiſſe in primævo ſtatu *potentiam* proximam *quidvis intelligendi*, *credendi*, *faciendi*, quod illi intellectu, creditu, factu *in quovis ſtatu*, ad quem vel ſuo facto vel DEI dono pervenire potuit, neceſſarium eſſe potuit.

Ibidem. pag. 18. Inclinatio ad peccandum *antea* (ante lapſum) *in homine fuit*, licet non ita vehemens æquè & inordinata, ut nunc eſt.

A REMONSTRANTIBVS, *Coll. Hag. pag. 250.* Dona ſpiritualia ab humanâ *voluntate*, in morte ſpirituali, propriè non ſeparantur, *quum illa nunquam in eâ fuerint*.

II. *Adamum etiam ante lapſum morti corporali fuiſſe obnoxium: neque verò demùm per peccatum ei obnoxium eſſe factum.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. pag. E. 2.* Primum ejuſmodi *errorem* facimus, quod ſicuti vulgò ab Evangelicis, ſic etiam ab eorum præcipuis quibuſdam Miniſtris traditur: Adamum *ante peccatum* fuiſſe naturâ *immortalem, poſt peccatum* verò *mortalem factum*.

Ibidem. Quod etiam *ante peccatum Adamus mortalis*, & quidem talis à DEO creatus fuerit, multa apertè docent.

Ibidem. pag. E. 3. Si naturalem *mortalitatem homini peccatum attuliſſet*, eſſetque ea propria *peccati pœna*, certè eam Chriſtus, qui peccatum, hoc eſt, peccati pœnam ſuſtulit, ipſam naturalam mortalitatem abſtuliſſet: quod tamen non fecit.

III. *Intellectum hominis non eſſe adeò corruptum, quin*

homo possit sine Spiritus S. illuminatione intelligere omnia, quæ in Scripturis ad salutem æternam consequendam scitu, creditu, speratu, & factu necessaria traduntur.

A SIM. EPISCOPIO, *Disp. de perspic. S. Scrip. Thes. 1.* Clara & aperta sensuum omnium, qui universis & singulis ad æternam salutem consequendam scitu, creditu, speratu, factu necessarij sunt, per Scripturam propositio, sine labore examinis, sine auxilio operosæ indaginis, immediata suâ luce & evidentia, à quolibet, *modo usu rationis & judicij polleat*, intelligi & percipi potest.

Ibidem. Thes. 3. Legentes igitur & audientes, quibus perspicua Scriptura est, non eos tantum statuimus, *qui peculiari quadam, & immediata luce interius collustrati sunt*, aut qui sibi hujusmodi luce & judicio donati ac præditi soli videntur, sed *omnes in universum, quicunque & qualescunque tandem esse posint*, summæ, mediæ, infimæ sortis homines, *in quibus vel dictamen naturalis rationis & judicij aut omninò obliteratum non est, aut saltem non enormiter vitiatum*, vel in quibus supina aut voluntaria quædam negligentia, manifesta inadvertentia, præjudicata sententia, aut dedita malitia locum non habet.

Disp. priv. de persp. S. Scrip. Thes. 3. Ad hanc intelligentiam (omnium eorum quæ creditu ad salutem necessaria in S. Scriptura traduntur) consequendam, *aliud necessarium non est, quam vis apprehendendi* & percipiendi sensum illorum verborum, quæ clarè & significanter proponuntur: *quæ vis naturalis est, & omnibus ratione præditis communis, in omni statu.*

Ibidem. Unde nec *aliud ullum supernaturale lumen* potentiæ superinfusum, eamque elevans ad hanc intelligentiam eliciendam necessariò requiritur.

Disp. privat. 46. Corol. 1. An ulla actio Spiritus Sancti immediata in voluntatem aut mentem necessaria sit, aut in Scripturis promittatur, ad hoc ut quis credere possit verbo extrinsecus proposito? *Negativam* tuebimur.

IV. *Volun-*

IV. *Voluntatem hominis irregeniti non esse servam peccati, sed liberam ad bonum & ad malum volendum.*

A REMONSTRANTIBVS, *Coll.Hag.pag.250.* In voluntate non potuit ejusmodi infusio (sanctitatis) locum habere, ut quæ *natura sua libera est ad volendum bonum vel malum.*

Ibidem. In morte spirituali *non separantur* propriè *dona spiritualia* ab humanâ voluntate.

Ibidem. Libertas benè aut malè agendi mansit in homine tanquam pars naturæ, cum quâ creatus fuit.

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. B. 3.* Dogma illud Evangelicorum *de servo arbitrio*, quo docetur *hominis arbitrium in ijs, quæ ad salutem æternam pertinent, nullam prorsus libertatem habere*, ejusmodi est, ut ipsum per se omnem Religionem & pietatem possundare possit.

Ab ADOL. VENATORE, *Declar.pag.173.* Non possum credere homines omnes ab utero matris, corpore & *animâ esse vitiatos*, in intellectu planè occæcatos, & *voluntate ad malum necessariò proclives*: qui verum bonum non possint intelligere, aut nihil aliud facere quam malum.

Ibidem.pag.174. Non possum credere hominem habere voluntatem, quæ tantum *serva* sit peccati.

Ibidem. pag. 175. Non possum credere hominem *nullas* habere *vires*, quibus *servari possit*: neque cum impotentiâ aliquâ natum esse.

V. *Hominem irregenitum ex se esse idoneum ad bonum spirituale cogitandum, volendum, & faciendum.*

A REMONSTRANTIBVS, *Coll. Hag.pag. 254. Præcedit* itaque aliqua actio hominis ipsius *vivificationem*, agnitio scilicet mortis suæ, *ejus dolor & deploratio, desiderium & votum liberationis, fames & sitis vitæ*: quæ omnia, sed & alia plura, à Christo requiruntur in eo , quem vivificaturus & regeneraturus est.

Ibidem.pag. 251. Non omnes *irregeniti* sunt ejusdem or-

dinis, quidam ſunt poſiti extra omnem vocationem: alij jam ſunt vocati. Priores in Scripturis propriè vocantur mortui in peccatis: *Poſteriores* verò iſti *mortui* profectò *non ſunt.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. Fol. B. 4.* Nunquam verum eſſe oſtendent Evangelici *humanas vires in vitandis peccatis nullas eſſe:* & propter primi hominis peccatum atque inobedientiam, univerſum humanum genus, ipſius *voluntatis libertate in benè agendo*; Deoque obediendo privatum eſſe.

A VENATORE, *Declar. pag. 174.* Non poſſum credere hominem in illam impotentiam incidiſſe, ut non poſſit clamare, orare, deſiderare, ſupplicare, quærere, ſe præparare, aut vocatum ſequi: Neque poſſit bonum aliquod magnum aut parvum facere, quod DEO placeat, ut eo DEVS moveatur ad majorem ei gratiam conferendam.

VI. *Gratiam* DEI, *quâ in homine* DEVS *operatur, quum intendit eum convertere, non operari in homine ipſum velle ſeu voluntatis aſſenſum, neque ſolam, neque ita efficaciter, ut effectus ſemper conſequatur, ſed tali tantùm modò, ut hic aſſenſus ſemper relinquatur libero hominis arbitrio, atq; ab eodem pendeat: adeò ut* DEVS *gratiâ hac converſionis in multis operetur cum intentione eos convertendi, qui tamen nunquam convertantur. Ac proinde converſionis noſtræ cauſſam efficientem non eſſe ſolam hanc* DEI *gratiam, ſed liberum quoque voluntatis humanæ arbitrium* DEO *cooperari, & converſionis noſtræ cauſſam eſſe partialem.*

A REMONSTRANTIBVS, *Coll. Hag. pag. 230.* Agnoſcimus quidem *irreſiſtibilem quandam vim Spiritus in intellectu*, quum DEVS intellectum illuminans, voluntatem ſuam patefacit: *& in corde*, quando is corda noſtra pulſat, ſed *gratia ea, quâ voluntas noſtra ad bonum determinatur*, & Spiritus Sanctus in nobis actum fidei efficit, totumque

tumque opus obedientiæ, quam à nobis DEVS in Euangelio exigit: hanc gratiam vocamus *resistibilem*, quia illi homo *suâ voluntate* potest resistere, & *ejus actum impedire.*

Ibidem. pag. 191. Possumus Spiritui Sancto resistere, quũ in homine operatur *cum voluntate & proposito ipsum convertendi.*

Ibidem. pag. 193. Possumus DEO resistere, *cum nos vult* per gratiam suam *convertere. Item.* Hæc DEI voluntas nihil aliud est, quam quod DEVS velit *ut homo seipsum convertat.*

Ibidem. pag. 235. Gratia DEI non ubique, neque semper resistentiam omnem seperat in omnibus, *in quibus efficaciter vult operari.*

Ibidem. pag. 241. Pugnaret cum natura præceptorum divinorum, veræque obedientiæ, si DEVS *suum ipsius opus* nobis præciperet, aut opus, *ad quod voluntas nostra nihil confert*, nec conferre potest.

Ibidem. pag. 247. Negamus omnibus ijs, *quibus Spiritus Sanctus cor vult aperire*, protinus reipsa aperiri. Nam ubicunque Spiritus pulsat, ibi & aperire vult & intrare: sed non ubicunque pulsat, ibi aperitur cor, nec *quocunq; vult intrare* Spiritus, illuc intrat.

Ibidem. pag. 269. Dicimus multos *posse venire ad Christum*, qui tamen reipsa non veniant.

Ibidem. pag. 196: Fides & conversio non possunt vocari *obedientia*, si ab *alio aliquo solo* efficiantur, ita ut homo in eo se habeat merè *passivè.*

Ibidem. pag. 243. Gratia DEI homines quidem prævenit, & efficaciter movet, ita tamen ut *ipsi per* DEI virtutem & gratiam *cooperari* debeant.

Ibidem. pag. 246. Ad cordis apertionem requiritur *hominis cooperatio.* Si enim homini à DEO præcipitur, ut in conversione cor suum aperiat, sequitur hanc apertionem à DEO *sine voluntatis humanæ cooperatione* non effici.

Ibidem. pag. 254. Statuimus itaque *hominem esse* DEI *co-operatorem* in perficiendâ regeneratione suâ.

Ibidem. pag. 275. Negamus fidem appellari donum DEI *respectu actualis infusionis* in corda nostra: sed ita appellatur *respectu potestatis* perveniendi ad ipsum.

Ibidem. pag. 276. Fides & conversio talia sunt dona, quibus DEUS nos donare non vult, nisi *interveniente voluntate nostrâ.*

Ibidem. pag. 279. Fides in Christum & conversio reipsa non efficiuntur in homine, *sine interventu voluntatis humanæ.*

Ibidem. pag. 260. Posset quoque & hoc disputari, An non nobilissima sit actio ea circa hominem, quæ fit *per suasionem*; &, An conveniens sit *alia aliqua* circa hominem uti, servatis humanæ naturæ proprietatibus, ac proinde an non satis vehemens foret operatio, si talis esset, *quali utitur Satan.*

Ibidem. pag. 261. Nihil esset ex eo absurdi, si eadem vis adhiberetur utrimque, & æquè potens in se, ita tamen ut Diaboli & aliorum operatio esset *resistibilis*, DEI verò *efficax*, *quia* secundum DEI infinitam sapientiam, *circa tale tempus, tales homines, in tali constitutione & statu administraretur.*

A IAC. ARMINIO, *Artic. perpend. pag. 24.* Vocatio interna etiam contingit *iis, qui non assentiuntur* vocationi.

Ibidem. pag. 25. Necessariò ponenda est *gratia sufficiens, quæ effectum non sortitur*, culpâ ejus cui contingit: secus justitia DEI in condemnatione infidelium defendi non potest.

Ibidem. Efficacitas gratiæ salutaris non consistit in omnipotente actione DEI, quâ sic agit in mente & in corde hominis, ut cui illa actio imprimitur, *non possit non assentiri* DEO vocanti, seu quod idem est, gratia *non est vis irresistibilis.*

Ibidem. pag. 26. Qui vocationi DEI obtemperant, illi liberè assentiuntur gratiæ, ab eâ tamen excitati, impulsi, tracti,

tracti, adjuti: & eo ipso momento, quo assentiuntur, *poterant non assentiri.*

Ibidem. Ubi homo sentit gratiam mentem & cor afficientem, liberè assentitur, ita *ut possit non assentiri.*

A IOAN. ARNOLDO *Contra Til. pag. 337.* Arminij sententia hæc est, gratiam non ita instruere hominem viribus, quin semper *maneat in potestate hominis ijs uti vel non uti.*

Contra Bogerm. pag. 263. & 274. Positis omnibus operationibus gratiæ, quibus ad conversionem in nobis efficiendam DEUS utitur, *manet tamen ipsa conversio ita in nostrâ potestate libera, ut possimus non converti, id est, nosmetipsos convertere vel non convertere.*

A NIC. GREVINCHOVIO, *Contra Ames. pag. 198.* Dicimus *gratiam* in actuali efficacia liberi actus, seu potius effectum à gratiâ intentum, etiam *pendere ab influxu arbitrij* ex gratiâ operantis, quia gratia licet principalis sit caussa, non tamen est totum principium proximum actionis, sed *concaussa ejus, postulans concomitantiam nostræ voluntatis,* sic ut *ab utroque* fluat, eoque & *dependeat* suo modo inflexus actualis.

Ibidem. Imò ut confidentius agam, dico *effectum gratiæ* ordinariâ lege *pendere ab actu aliquo arbitrij,* ut præviâ conditione sine quâ non.

Item. Ut *vocatio efficax pendet* ab auditu, ita etiam *ab arbitrio* (à quo & auditus ipse dependet) tanquam ab eo in cujus potestate est audiendo acquirere vel non acquirere ea, sine quibus ordinariè vocatio ad fidem non est efficax.

Ibidem. pag. 202. Negamus concursum arbitrij in Paulo esse effectum necessariò gratiam consequentem *vi solius gratiæ* prædeterminantis, ut caussæ adæquatæ conuersionis in ijs omnibus, qui hac gratia donantur.

Ibidem. pag. 203. & 204. Nostrã verò sententiam sic paucis accipe; Totius quidem simul complexi (quare scilicet hæc gratia in Paulo aut Petro potius sit efficax, quam in alio)

alio) *caussam* communem dari non posse aliam, præter *libertatem voluntatis.*

Ibidem. pag. 204. Voluntas hominis gratiâ præveniente excitata *est partialis caussa conversionis.*

Item. Positis duobus adultis, fieri potest, ut *æqualibus auxilijs gratiæ* prævenientis hic convertatur, ille *non convertatur*

Ibidem. pag. 205. Voluntas pro suâ libertate *cooperatur* in ipsâ determinatione sui ipsius, & *in effectione gratiæ* cooperantis, atque ita *est concaussa*, vel conditio necessaria, sine cujus *concursu activo* DEVS non influat in illam. *Item.* Gratia non determinat nisi *arbitrio cooperante* · quâ ratione & modo quid ni dicamus, *efficaciam* quoque *gratiæ* quodammodo *ab arbitrio pendere* quoad eventum?

Ibidem. pag. 106. Dicimus eo sensu *arbitrium determinare gratiam*, quod arbitrium liberè præstet concursum suum gratiæ cooperanti; vel quod arbitrium ita cooperetur, ut possit non cooperari, adeoque non cooperando *impedire cooperationem gratiæ.*

Ibidem. pag. 208. Liquet arbitrium & gratiam simul esse *caussas partiales*, partialitate caussæ, seu caussandi, sic ut *neutra* conversionem per se *sola efficiat* eâ virtute quâ influit in effectum.

Ibidem. pag. 210. & 211. Si pater & filius ambo unam eandemque navem trahant, & filius quidem agendi virtute sibi à Patre communicatâ; pater autem non modò ut pater, qui filio agendi virtutem dedit, sed etiam ut suasor, motor, atque impulsor filij; adeoque ut autor filio suo navem hanc unâ cum ipso trahendi; hic agnosces, opinor, *duas caussas partiales* unius effecti simultanei, quarum *unaquæque totum effectum suâ virtute producit*, etsi *non totaliter. Item.* Proprium est caussæ partialis, *virtute suâ*, sive à se, sive ab alio acceptâ & motâ, ad eundem actum *concurrere* cum aliâ causâ, *sine quo concursu actus iste non existeret. Sic* igitur *gratiam & arbitrium conjungimus, ut caussas partiales.*

Ibidem. pag. 114. Auxilium efficax *ordine caussalitatis non antece-*

antecedit efficientiam voluntatis. Item. Auxilium DEI efficax *non est in viâ* ad influxum arbitrij.

Ibidem. pag. 243. Nego ad conversionem peccatoris concurrere *motionem* DEI *præviam, quâ voluntas sic determinetur ad consensum, ut non possit dissentire.*

Ibidem. pag. 253. Ego meipsum discerno; quum enim DEO ac prædeterminationi divinæ resistere possem, non restiti tamen: atque in eo quid ni mihi liceat *tanquam de meo gloriari*? Quod enim potui, DEI quidem miserentis est, *quod autem volui*, cum possem nolle, *id meæ potestatis.*

Ibidem. pag. 271. Nobis certum est DEUM multorum conversionem & salutem *intendere*, in quibus eam *non assequitur.*

Ibidem. pag. 272. Non omnes convertuntur, quos DEUS seriò atque ex animo *voluit convertere.*

Ibidem. pag. 279. Concedo in hoc operandi modo DEUM etiam quodammodo *à voluntate hominũ pendere* quoad actum determinationis liberæ.

Ibidem. pag. 294. Negamus ad conversionem hominis, ex parte DEI, præter gratiam præuenientem, excitantem, adjuvantem, &c. *opus esse gratiâ determinante.*

Ibidem. pag. 297. Quid enim obstat, quo minus vel *sola gratia moralis* istos ψυχικοὺς *spirituales reddat*?

A CONR. VORSTIO, *Parasc. ad Piscat. pag. 4.* Quæ DEUS liberè prorsus & contingenter à nobis fieri vult, *ea potentius aut efficacius, quam per modum voti & desiderij velle non potest.*

A SIM. EPISCOPIO, *Disp. de Dominio* DEI, *Thes. 15.* Dominium DEI eousque non potest extendi, ut DEUS *actum illum*, quem lege suâ ab homine postulat, *per omnipotentiam & vim irresistibilem in eo ipse efficiat*, & tanquam actum *obedientiæ præmio* remuneretur.

Ibidem. Jure supremi dominij sui dare quidem vitam æternam potest, cui vult, DEUS, & si velit ad officium faciendum creaturam suam flectere potest infinitis modis, sed *tanquam præmium* dare vitam æternam, & tanquam *obe-*

dientibus dare ijs, in quibus *per vim irresistibilem* omnia, quæ Lege præscribuntur, effecta sint, id verò DEVS pro jure ac dominio suo *facere non potest.*

Disput.privat.46.Thes.11. An circa ipsum effectum & *voluntatem etiam versetur actio Spiritus sancti,* immediatè ei aliquid imprimendo, *non audemus,* nec necesse habemus *asserere,* aut negare. Certum est mentem hâc ratione illustratam facilè affectum jam obsequendi studio, imò obsequio aliquantum inclinatum, ulterius impellere, eique aspirare vim & ἐνέργειαν, quâ correptus affectus voluntatem deinde movet ad actiones affectui similes exercendas, *ita tamen, ut pro libertate suâ in contrariam semper partem ferri possit.*

Ibidem.corol.1. An ulla *actio Spiritus Sancti* immediata *in voluntatem* necessaria sit, *ut quis credere possit* verbo? *Negativam* tuebimur.

Disp.priv.7.de Prædest. Thes.11. Iniquissimum est ab eo exigere *abedientiam,* in quo actus ipse obediendi *per potentiam efficitur.*

Ibidem.thes.12. Quorsum enim postulatur seriò id, quod *potenter inseritur, atque inditur animæ* ejus, à quo postulatur.

Ibidem.Disp.8.thes.7. Absurdum est statuere DEVM *aut efficere per potentiam,* aut procurare per sapientiam, ut electi ea faciant, quæ ab ipsis, ut ipsi ea faciant, exigit & postulat,

Ibidem.Disput.9.thes.3. DEVS nemini mortalium *sufficientem gratiam, cujus beneficio salutem consequi potest,* negare absolutâ voluntate constituit.

ARTI-

ARTICVLVS XV.

De Peccato Originali.

CRedimus Adami inobedientiâ 1. peccatum quod vocant Originis in totum genus humanum diffuſum eſſe. 2. Eſt autem peccatum Originis corruptio totius naturæ, & vitium hæreditarium; 3. quo & ipſi infantes in matris utero polluti ſunt: 4. quodque velut noxia quædam radix, genus omne peccatorum in homine producit: eſtque tam fœdum atque execrabile coram DEO, ut ad univerſi generis humani condemnationem ſufficiat. 5. Neq; verò per Baptiſmum penitus aboletur aut radicitus evellitur; quandoquidem ex illo tanquam ex infauſtâ ac corruptâ ſcaturigine perpetui rivuli aſſiduè exoriuntur atque effluunt: quamvis filijs DEI in condemnationem non cedat aut imputetur, ſed ex purâ DEI gratiâ & miſericordia illis remittatur: non ut huic remiſſioni confidentes obdormiant, ſed ut ſenſus hujus corruptionis crebriores gemitus in fidelibus excitet, utque eo ardentius optent, ab hoc cor-

 pore

pore mortis liberari. Hinc ergo *Pelagianorum* errorem damnamus, qui hoc peccatum originis nihil aliud esse asserunt, quam imitationem. 6.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *In Adamo posteros ejus non peccasse, neq; inobedientiam in Paradiso à primis parentibus commissam illis imputari.*

Ab HENR. WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. E. 4.* Homines morti obnoxij sunt, *non* quidem quia *inobedientia ista Adami illis imputetur:* quid enim iniquius, nisi illi similiter inobedientes fuerint?

Ibidem. Reatum mortis per propagationem ipsam, *sine ullâ ipsius peccati imputatione*, ab Adamo traximus, ut in conditionibus servilibus & vectigalibus evenire solet.

Ab ADOL. VENATORE, *Declar. pag. 172.* Non possum credere; DEUM voluisse Adamum & Evam collocare *tanquam stirpem totius generis humani*: *neque posteros* eorum omnes, etiam illos, qui post aliquot seculorum myriades ab ipsis essent nasci turi, in æternum *reos esse mali illius*, quod duo isti homines perpetrarunt, ac propter idipsum obnoxios esse igni infernali, ac si ipsi in Paradiso fuissent & peccatum hoc perpetrassent. *Contr. Pastor. Dordr. pag. 106. Nos in Adamo non peccasse*, ex eo colligi potest; quod nemo in se deprehendat conscientiæ suæ accusationem, quod ante quinquies mille & quingentos annos in Paradiso hoc Adami peccatum perpetraverit. Ego saltem non deprehendi.

II. *Pronitatem ad peccandum, seu corruptionem humanæ naturæ non profluxisse ex Adami inobedientiâ, sed continuatis peccandi actibus attrahi.*

A

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. E. 3.* Tertium *errorem* ejusdem generis statuimus, quod omninò Evangelici docent, *hominis ad peccandum pronitatem ex illo primi hominis peccato profectam esse.*

Ibidem. Pronitas ad peccandum, quæ in hominibus conspicitur, non *à primo illo peccato*, sive ab uno illo *primi hominis* peccandi actu, statim exorta est, *sed continuatis*, post peccatum illud, alijs *peccandi actibus* peccandi habitum paulatim *homines attraxerunt*, seque ipsi corruperunt, & sic corruptionis istius semina per propagationem ad posteros transmiserunt.

A VENATORE, *Declar. pag. 172.* Non possum credere *propter hunc* necessarium & à DEO decretum *Adami lapsum, omnes homines ab ipsâ conceptione atq; ab utero matris* esse maledictioni obnoxios, corpore & *anima vitiatos*, in intellectu planè occæcatos, & in voluntate necessariò ad malum proclives, adeò ut verum bonum non possint intelligere, & nihil aliud possint quam malum agere. *Item. Atq; hi, si Dijs placet, fructus sunt peccati Adami*, & peccati originis, quod peccatum produxerit, scilicet, æternam impotentiam ad bonum, & inevitabilem mali operationem.

Ibidem. pag. 175. Non possum credere, hominem *propterea non habere vires*, quibus salvus fieri possit, *quoniam Adamus semel de vetito fructu* ante quinquies aut ferè sexies mille annos *comederit.*

Ibidem. pag. 179. Credo *nullos parentes dona* sufficientia ad salutem *pro* liberis aut *posteris posse amittere.*

III. *Pronitatem hanc ad peccandum non esse vitium, seu peccatum proprie dictum, sed ita metonymice appellari, quia sit caussa aut effectus peccati.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. E. 4. Errant* Evangelici, cum statuunt *concupiscentiam esse peccatum*, quamvis ei nullo pacto assentiatur homo, sed statim & semper reprimat.

A IAC. ARMINIO, *Artic. perpend. pag. 18.* Perpendendum eſt, an peccatum originis ſit *tantum carentia juſtitiæ originalis*, & ſanctimoniæ primævæ, cum *inclinatione ad peccandum, quæ & antea in homine fuit.*

Contra Perkinſ. pag. 170. Nullum eſt peccatum quod ſimul ſit *malum culpæ*, & malum pœnæ, ſeu pœna peccati, & cauſſa alterius peccati, ſi rectè & rigidè iſta conſiderentur.

A IOAN. ARNOLDO, *Contra Gomarum, pag. 4. 5.* Arminius ſentiebat tranſgreſſionem legis & *peccatum actuale propriè peccatum appellari*, atque interim rotundè agnoſcebat, peccatum, quod cauſſa aliorum peccatorum eſt, etiam peccatum appellari, quia peccatum hoc in nos venit *ut pœna peccati.* Neque intelligere poterat quomodo illud, quod nobis ut pœna infligitur, *propriè loquendo* poſſit peccatum eſſe.

Contra Tilenum, pag. 388. Planè verum eſt quod Arminius docet loco à te citato, perversè dici peccatum originale reum facere mortis, cum peccatum hoc pœna ſit actualis peccati Adami: ex quibus verbis ſequitur, quod dicis, ſcilicet Arminium docere, *peccatum originis non eſſe propriè dictum peccatum.*

Ibidem. pag. 389. Arminius negat peccatum originis eſſe peccatum propriè dictum.

A VENATORE, *Contra Paſt. Dordr. pag. 109.* Peccatum originis *proprie non eſt peccatum*, nec condemnationem meretur.

IV. *Infantes non naſci cum vitioſitate hæreditariâ, per quam non ſint idonei ad bonum, & proclives ad omne malum: ſed naſci cum iiſdem viribus ad bonum, cum quibus Adamus creatus fuit.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. fol. B. 4.* Nunquam verum eſſe oſtendent Evangelici, ac ne in ſpeciem quidem id uſpiam in S. literis indicatum fuiſſe, docere poterunt, *humanas vires in vitandis peccatis nullas eſſe*, &

propter

propter primi hominis peccatum atque inobedientiam universum humanum genus ipsius *voluntatis libertate in bene agendo,* DEOque obediendo,*privatum esse.*

Ibidem. fol. E. 4. Evangelici addiderunt effectum primi peccati esse *amissionem liberi arbitrij*; qui ingens est *error.*

Ibidem. Quidquid aliud Theologi vulgò de originali peccato disputant, præter reatum necessariæ perpetuæque mortis, quem per propagationem ipsam sine ullâ ipsius peccati imputatione, ab Adamo traximus, *id omne,* ut apud ipsosmet incertum omninò ac varium, sic *humani ingenij figmentum* prorsus censendum est.

A VENATORE, *Theol. meræ & veræ pag. 2.* Omnes infantes sunt simplices, & *stantes in eodem statu, in quo Adam fuit ante lapsum*, antequam Eva serpenti auscultasset, qui suadebat illis, ut comederent de vetitâ arbore scientiæ boni & mali.

Contra Pastor. Dordr. pag. 172. Non possum credere propter hunc necessarium & à DEO decretum lapsum Adami *omnes homines ab ipsâ conceptione atq; ab utero matris esse maledictioni obnoxios, corpore & animâ vitiatos, in intellectu plane occæcatos, in voluntate necessariò ad malum proclives,* adeò ut verum bonum non possint intelligere, & nihil aliud possint quam malum operari.

Ibidem. pag. 175. Non possum credere hominem propterea *non habere vires ad salutem sufficientes,* quod Adamus semel de vetito fructu, ante quinquies aut penè sexies mille annos comederit; nec etiam *hominem cum tali impotentiâ natum esse.*

V. *Peccatum originis non esse caussam sufficientem ad universi generis humani condemnationem.*

A IAC. ARMINIO, *Respons. ad 9. quæst. pag. 174.* Perversè dicitur peccatum originale *reum mortis facere.*

Artic. perpend. pag. 18. Perpendendum est an peccatum originis homines faciat *reos iræ* DEI.

Respons. ad 31. Artic. pag. 168. Subjeci & hoc disquiri posse, an

ſe, *an* DEVS propter innatum nobis peccatum originale *iraſceretur.*

Ab ADR. BORRIO, *Reſp. Armin. ad 31. Artic. pag. 117.* Neceſſe eſt *omnes ſalvos fore*, qui actualia peccata nulla ipſi perpetrarunt, quales ſunt infantes omnes, *ſine diſcrimine.* Quia DEVS *univerſum genus humanum in reconciliationis gratiam aſſumpſit*, & cum Adamo, *omnibuſq; ejus poſteris* in eo fœdus gratiæ inivit: quumque infantes fœdus illud tranſgreſſi non ſint, *non videntur condemnationi obnoxij.* Et cum DEVS ipſi Adamo, qui in propriâ perſonâ peccavit, & voluntate ſuâ libera, peccatum illud condonaverit, *nulla eſt ratio cur* DEVS *hoc peccatum infantibus imputare voluerit.* Nam ſic DEVS videbitur cum infantibus rigidius agere quam cum ipſis Diabolis.

A VENATORE, *Contr. Paſt. Dordr. pag. 98.* Admodum abſurdum mihi videtur ſtatuere, quamvis peccatum Adami ante ſex millia annorum perpetratum ſit, tamen hoc non obſtante, innocentes *ipſos infantes* nondum tres dies natos, imò in matris utero adhuc exiſtentes, in æternum graviſſimæ *pœnæ infernali obnoxios eſſe.*

Ibidem.pag.101. Non video quomodo conveniat fini creationis, DEI bonitati, juſtitiæ, & miſericordiæ, & veritati verbi ipſius, ut DEVS *creaturam propter parentum peccatum, & propter peccatum alienum, naſci vellet obnoxiam tantæ miſeriæ*, ut præſtaret, imò longè præſtaret nunquam fuiſſe, nunc non eſſe, nec unquam futurum, quam ita eſſe: adeo ut igne infernali propter Adami peccatum ſolum æternum ſit punienda.

Ibidem.pag.112. Innatum peccatum punitur *pœna temporali*, ſed actuale inſuper etiam æternâ. *Item.* Conceſſi homines propter peccatum Adami carere donis illis, quod non habeant *arborem vitæ*, qui in Paradiſo erat, & quod ipſis nunc ſit *moriendum.*

Declarat.pag.172. Non poſſum credere omnes homines ab ipſa conceptione atque ab utero matris *obnoxios eſſe maledictioni.*

A IOAN.

A IOAN. WTENBOGARDO, *Defens. decr. pag. 192.* Hanc consequentiam solidè vellem videre refutatam, infantes morientes sine peccatis actualibus (posito hoc, quod verum sit eos in Adamo peccasse) non rigidius à DEO tractari, quàm ipsos diabolos, *si tantum propter peccatum originale in Adamo perpetratum condemnarentur.* Diaboli enim condemnantur propter actualia sua peccata, isti verò minimè.

A IOAN. ARNOLDO, *contra Tilenum, pag. 388.* Planè verum est, quod Arminius docet loco à te citato, perversè dici peccatum originale *reum facere mortis.*

VI. *Adamum lapsu suo tantum speculum, exemplum, & antecessorem fuisse lapsuum reliquorum hominum.*

A VENATORE, *Declarat. pag. 176.* Cum DEUS prævideret lapsum hominis, *cujus Adamus speculum & quasi typus fuit,* aliud fœdus erexit.

Contr. Past. Dordrac. pag. 100. Adamum fuisse *speculum & primum peccatorem,* atque inde malam consuetudinem & inclinationem ad peccandum fuisse attractam, concedere possem.

Ibidem. pag. 110. Cæterùm an Adamus ideo particeps factus est peccati Evæ, quia ab illâ post peccatum natus fuerit? Minimè. Illa enim post ipsum creata fuit, imò ex ipsius costâ. Ergo erat exemplum. *Eodem* etiam *modo Adam suis liberis,* atque illi iterum suis posteris, *exemplum & antecessor* ad peccandum fuit. Et quoniam ipse primus fuit, hinc fit ut per ipsum natura sit corrupta. *Ibidem.* Quod omnes nos in peccatis concipiamur & nascamur, *non est quod omnes cū peccato originali nascamur,* sed quod illi à quibus nascimur, in plerisque ipsorum operibus, etiam in concipiendo, gignendo, & pariendo, non sint sine peccatis: ut jam non dicamus, *nos postea in ipsorum operibus multa mala, & peccatis inquinata exempla videre,* quæ sint humanæ fragilitatis atque infirmitatis testimonia. *Item.* Videmus enim quam efficacia sint *exempla parentum in liberis,* præceptorum in discipulis, & magistratuum in subditis. *Et*

Quantum boni poteſt exemplum bonum, ad mandatorum DEI obſervationem, tantum mali contra poteſt *exemplum malum* ad abſtrahendum ab obſervatione illâ.

ARTICVLVS XVI.

De Prædeſtinatione divinâ.

CRedimus DEVM, poſtquam tota Adami ſoboles, ſic in perditionem & exitium primi hominis culpâ præcipitata fuit, ſeipſum talem demonſtraſſe ac præſtitiſſe, qualis eſt revera: nimirum miſericordem & juſtum. Miſericordem quidem eos damnatione & interitu liberando & ſervando, quos in æterno & immutabili conſilio ſuo, 1. pro merâ & gratuitâ ſuâ bonitate, per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum elegit, 2. ſine ullo [bonorum] operum ipſorum reſpectu. 3. Juſtum verò, alios in illo ſuo lapſu & perditione relinquendo, in quam ſeſe ipſi præcipites dederunt. 4. [Hac ratione declarat ſe eſſe miſericordem & clementem DEVM ijs quos ſalvos facit, quibus nihil debebat: uti quoque ſe declarat juſtum judicem oſtenſione juſtæ ſeveritatis ſuæ erga reliquos. Atque interim

interim illis nullam facit injuriam. Nam quod nonnullos ſalvos facit, non propterea fit, quod iſti alijs ſint meliores, cum omnes in exitium certum prolapſi ſint, donec DEVS eos diſcernat, & liberet ſecundum æternum atque immutabile propoſitum ſuum, quod in IESV CHRISTO fundatum eſt, antequam mundus creatus fuit. Nemo itaque ſecundum hanc ſententiam ad hanc gloriam pervenire per ſe ipſum poteſt, quoniam à nobis ipſis non ſumus idonei ad cogitandum aliquid boni, niſi DEVS per gratiam ac meram bonitatem ſuam nos præveniat: adeò natura noſtra eſt corrupta.]

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Conſilium* DEI *de ſalvando hoc homine non eſſe certum nec immutabile.*

Ab WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. Fol. B. 2.* Lectorem monemus ex ipſis à nobis allatis teſtimonijs probari, DEVM *velle* & curare, *ut vivant* illi ipſi, *qui pereunt,* ac proinde poſſe perire eos, atque adeo evenire *ut pereant, quos* DEVS *vult vivere.*

Ibidem. Ex quibus conſtat poſſe *perire eos, quos* DEVS *ſaluti deſtinaverit.*

Ibidem. fol. B. 3. Nihil mirum videri debet, *ex electis aliquando reprobos,* & viciſſim ex reprobis electos effici.

A IAC. ARMINIO, *Contra Perkinſ. pag. 195.* DEVS *vult ſeriò ut omnes homines ſalventur*, at compulſus pertinaci & incorrigibili malitiâ nonnullorum, *vult illos* jacturam facere ſalutis, hoc eſt, *condemnari.*

A SIM. EPISCOPIO, *Diſp. de vol.* DEI, *theſ. 21.* Ineptum & ridiculum eſt dicere ſeriam & veram *voluntatem* DEI *eſſe nequire, niſi effectum ſortiatur.*

II. *Per electionis decretum non intelligi propoſitum* DEI, *de certis aliquibus hominibus ſingularibus ſervandis, ſed tantùm de certo hominum genere ſervando, ſcilicet, fidelium perſeverantium.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. fol. B. 3.* Decretum Electionis communiter loquendo *non ad certos ac definitos homines, nominatim hos vel illos, ſed ad certum potius hominum genus*, ſive ad homines generatim quidem acceptos, ſed qualitate aliquâ, hoc eſt, *obedientiâ* vel inobedientiâ *præditos*, omninò referri debet.

A IAC. ARMINIO, *Artic. perpend. pag. 21.* Secundum decretum eſt, quo DEVS ſtatuit reſipiſcentes *& fideles* in gratiam recipere, eoſque *perſeverantes ſalvare* in Chriſto, & per Chriſtum. *Illud ſecundum decretum eſt prædeſtinatio ad ſalutem.*

A REMONSTRANTIBVS, *Col. Hag. pag. 34.* Nos aliam prædeſtinationem ad ſalutem in Evangelio revelatam non agnoſcimus, quam quâ DEVS decrevit, credentes in Filium ſuum IESVM Chriſtum, & in eâdem fide perſeverantes, ſalvos facere.

Ibidem. pag. 57. Perſeverantes fideles velle ſalvos facere, *totum eſt decretum Prædeſtinationis ad ſalutem.*

A IOAN. ARNOLDO, *contra Tilen. pag. 53.* Decretum Electionis *nihil aliud eſt*, quam decretum, quo DEVS ſtatuit, *fideles in Chriſto iuſtificare & ſalvare.*

A NIC. GREVINCHOVIO, *contra Ameſ. pag. 111.* Uniformia & conformia mihi ſunt *Electionis & juſtificationis* decreta.

III. *Cauſſam*

III. *Caussam electionis singularis, seu quare* DEVS *hunc hominem præ illo ab æterno, saluti destinaverit, non esse merum Dei beneplacitum, seu meram ipsius & gratuitam bonitatem, sed fidem ac perseverantiam hominis, seu totam consummatam fidei obedientiam prævisam. Ac proinde Fidem ac perseverantiam hominis prævisam Electionem singularem præcedere, ut conditionem in eligendis requisitam, quæ* DEVM *ad eligendum moveat, non autem fructum esse, qui ex electione, tanquam primâ ejusdem caussâ, promanet.*

A IAC. ARMINIO, *Declar. pag. 47.* Decretum, quo DEVS decrevit, certas quasdam personas salvare, *innititur præscientiæ* DEI, quâ ab æterno scivit, *quinam* juxta ejuscemodi administrationem mediorum ad conversionem & fidem idoneorum, ex præveniente ipsius gratiâ *credituri erant, &* subsequente gratiâ *perseveraturi.*

A REMONSTRANTIBVS, *Collat. Hag. pag. 35.* Nos rotundè confitemur *fidem* in consideratione divinâ, *in eligendo ad salutem præcedere* : & *non ut fructum electionis sequi.*

Ibidem. pag. 82. Decretum ejusmodi absolutum, quo DEVS dicitur in eligendo *non respexisse ad bonas cujusquam qualitates, quas antè prævidit,* non potest vel cum naturâ Dei, vel cum Scripturis ipsius consistere.

Ibidem. pag. 86. Gratia illa, qua benignus DEVS hominem dignatur, cum verbum ipsi prædicari facit, & eum trahit per Spiritum suum *ut credat, non manat ex decreto isto electionis ad salutem. Item,* Mittit verbum suum, quo ipsi visum fuerit, non secundum absolutum aliquod decretum, sed *propter alias caussas in homine ipso latentes.*

Ibidem. pag. 89. Electio ad salutem, *innititur præscientiæ huic,* secundum quam DEVS novit, *quinam in ipsum credituri sint,* quinam non.

Ibidem.pag.93. Quæritur *an Fides ſit fructus ex Electione ad ſalutem emanans?* Fratres affirmant, *Nos negamus.*

Ibidem.pag.94. Non poſſumus ſimpliciter concedere S. Scripturam *non ponere aliam cauſſam* Electionis, quam DEI *propoſitum & bene placitum.*

Ibidem.pag. 109. Abſurdum eſt ponere abſolutam DEI voluntatem in decreto Electionis *pro cauſsa prima,* quæ reliquas *cauſſas,* Chriſtum puta, *Fidem,* aliaſque omnes antecedat.

A NICOL. GREVINCHOVIO, *contra Ameſ.pag.24.* Fides eſt *conditio prærequiſita* in hoc vel illo eligendo. *Item.* Naturæ legum ac conditionum præſcriptarum omninò conveniens eſt, *ut voluntas iudicis à conditione* poſtulata & præſtita *moveatur ad præmium.*

Ibidem.pag.104. Theſin iſtam ex mente noſtra ſic informo: *Fidem* eſſe neceſſarium *prærequiſitum à* DEO *prævisum* in eo, qui ad vitam æternam eligitur.

Ibidem.pag.111. Nego fidem eſſe *medium electioni ad gloriam ſubordinatum.* Ratio negationis in promptu eſt, quod ſcriptura fidem perpetuò deſcribit ut *conditionem* requiſitam à DEO, cujus præſtationem DEVS *velit prius, quam* gloriam aut ſalutem cuiquam præcisè velit aut *deſtinet.*

Ibidem.pag.137. Electio peremptoria in objecto *prærequirit totam conſummatam fidei obedientiam.*

IV. DEVM *neminem relinquere in illâ perditione, in quam ſeſe ipſi præcipites dederunt, ſed decreviße omnes homines ſalvos facere, atque omnibus hominibus ſufficientem gratiam ad ſalutem dare,*

Ab ADOL. VENATORE, *Declar.pag.175.* Credo DEVM ab æterno *decreviſſe* bonitatem ſuam declarare, atque eum in finem creaturas producere, ac imprimis hominem ad imaginem ſuam, ut eum beatitudinis ſuæ participem, atque *omnes homines in æternum ſalvos faciat.*

A SIM.

A SIM. EPISCOPIO, *Disp.priv.9.de Repr.thes.3.* DEVS *nemini mortalium sufficientem gratiam*, cujus beneficio salutem consequi potest, *negare* absolutâ voluntate *constituit*.

A IOAN. ARNOLDO, *contra Tilen.pag.379.* DEVS ex voluntate & affectu generali *ex æquo omnium hominum salutem* desiderat, omnibus Mediatorem dedit, & *salutem indiscriminatim* ex fide obtinendam *ordinat*, ideoque omnibus salutem offert, pœnitentiam ac fidem mandat, & ad utramque media administrat.

Ibidem.pag.121. Hæc est Arminij sententia, quæ huc redit, ut *neget* DEVM præcisâ voluntate *aliquos in Adæ lapsu voluisse relinquere*, quia scilicet hoc ipsum Scripturis, & constanti affectui, quo DEVS *omnium salutem* & conversionem se desiderare testatur, planissimè adversatur.

ARTICVLVS XVII.

De reparatione generis humani per Filium DEI.

CRedimus etiam DEVM nostrum Opt. Maxim. quum cerneret hominem sese ita in mortis & corporeæ & spiritualis damnationem conjecisse, & prorsus miserum atque maledictum effectum esse, mirabili suâ tum sapientiâ, tum bonitate, adductum, ut illum abs se præ timore fugientem & quærere, & benignè consolaretur: promisso illi Filio suo, ex muliere nascituro, qui serpentis caput

put contereret, & illum beatum redderet.

Sunt inter REMONSTRANTES, qui in controversiam aliquando vocarunt, an per semen mulieris, contriturum caput serpentis, promissum Gen. 3. 15. sit intelligendus DEI Filius ex muliere nasciturus.

ARTICVLVS XVIII.

De Incarnatione Filij DEI.

CONfitemur itaque DEVM promissionem Patribus per os sanctorum Prophetarum factam implevisse, quum constituto ab se tempore Filium suum unicum & æternum in hunc mundum misit: *qui formam servi assumpsit, similis hominibus factus*, & veram naturam humanam cum omnibus ipsius infirmitatibus, excepto peccato, verè assumpsit, dum conceptus est in utero beatæ Virginis Mariæ, virtute Spiritus Sancti, absque ullâ maris operâ. Eam porrò naturam humanam non quoad corpus tantùm induit, sed etiam quoad animam: fuit enim vera animâ humanâ præditus, ut verus esset homo. Etenim cum anima non minus quam ipsum

ipſum corpus damnationi eſſet obnoxia, neceſſe fuit illum & hoc & illam aſſumere, ut utrumque ſimul ſervaret. Idcircò contra Anabaptiſtarum hæreſin, qui negant Chriſtum carnem humanam aſſumpſiſſe, confitemur Chriſtum *participem ejuſdem carnis & ſanguinis fuiſſe, ſicut & pueri: ex lumbis Davidis ſecundum carnem: factum ex ſemine Davidis, ſecundum eandem carnem; fructumque ex utero virginis Mariæ, natum ex muliere: germen Davidis: ſurculum è radice Jeſſe: è tribu Juda, atque à Judæis ipſis ortum ſecundum carnem*, & in ſummâ, *verum ſemen Abrahæ & Davidis*, quandoquidem *Abrahæ ſemen aſſumpſit, & fratribus ſuis per omnia ſimilis factus eſt, exceptio peccato [genitus ex Mariâ]* adeò ut [hac ratione] factus ſit reverà noſter *Emmanuel*, id eſt, DEUS nobiſcum. 2.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Non fuiſſe Filium aliquem* DEI *æternum, ſeu ſubſtantiam quandam divinam ex ipsâ ſubſtantiâ* DEI *genitam, quæ humanam naturam induerit.*

A WELSINGIO, *De offic. hom. Chriſt. fol. D.1.* Ex quo ſequitur, hominem illum IESUM Nazarenum *ſine ullâ divinæ*

cujuſdam alterius *eſſentiæ*, quam ipſe habeat, *conſideratione*, eſſe unicum DEI Filium.

Ibidem. fol. D. 2. Concludendum eſt igitur, Filium DEI unigenitum *non eſſe ſubſtantiam* quandam *divinam*, ex ipsâ ſubſtantiâ DEI genitam, *quæ humanam naturam induerit.*

Inter REMONSTRANTES ſunt qui contendant, nomen *Emmanuel* Chriſto attribui, non reſpectu Perſonæ, quia conſtet ex duabus naturis, Divinâ & Humanâ, ſed tantùm reſpectu officij, quia DEUM nobis ſit reconciliaturus.

ARTICULUS XIX.

De Unione Hypoſtaticâ, ſeu Perſonali, duarum Naturarum in Chriſto.

CRedimus etiam per hanc conceptionem, Perſonam Filij conjunctam atque unitam fuiſſe inſeparabiliter cum humanâ naturâ, ita ut non ſint duo Filij DEI, nec duæ Perſonæ, ſed duæ Naturæ in unâ eâdemq; perſonâ unitæ, quarum utraq; proprietates ſuas retineat, adeò ut ſicut Divina natura ſemper increata & abſque initio dierum & ſine fine vitæ remanſit; cœlumq; & terram implens: ſic natura Humana proprieta-

proprietates ſuas non amiſerit, ſed creatura remanſerit, initium dierum & finem vitæ habens, finitæ ac circumſcriptæ naturæ exiſtens, atque omnia quæ vero corpori competunt, retinens. Et quamvis illi immortalitatem reſurrectione ſuâ dederit, veritatem tamen humanæ naturæ illi neque ademit, neque commutavit. Salus enim & reſurrectio noſtra à veritate corporis ipſius dependet. Cæterum duæ iſtæ naturæ ita ſunt ſimul unitæ & conjunctæ in unam perſonam, ut ne morte quidem ipſius ſeparari potuerint. Quod igitur Patri ſuo moriendo commendavit, id verè erat ſpiritus humanus, à corpore ipſius egrediens: at interim Divina natura ſemper Humanæ, etiam in ſepulcro jacenti, conjuncta remanſit: 1. adeò ut Deitas ipſa non minus in ipſò tunc fuerit, quam cum adhuc infans eſſet, etſi exiguum ad tempus ſeſe non exereret. Quapropter confitemur ipſum eſſe verum DEUM, & verum hominem: 2. Verum quidem DEUM, ut mortem ſuâ potentiâ vinceret; & verum hominem, ut in carnis ſuæ infirmitate pro nobis mortem obiret.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Humana Christi naturæ cum divinâ naturâ unionem ejusmodi esse, quæ non necessariò requirat unitarum naturarum indistantiam, sed quæ tantùm consistat in influxu quodam divinæ virtutis in naturam Christi humanam. Ac proinde non esse personalem.*

A CONR. VORSTIO, *Apol, Exeg. pag. 87.* Non ineptè responderi posset unionem duarum in Christo naturarum *non in essentiali duarum naturarum indistantiâ, sed in* arcano quodam & ineffabili *Deitatis* τοῦ λόγου in humanitatem *influxu*, hoc est, *singulari quadam illius in hanc operatione*, sive gratiosâ hujus ad illam assumptione, aut peculiari appropriatione, revera consistere.

Ibidem. pag. 88. Non immeritò aliquis collegerit etiam divinam τοῦ λόγου hypostasin *per arcanum aliquem influxum* assumptæ humanitati communicari potuisse, & hanc perpetuò *per illius intimam virtutem* adhuc sustentari: etiamsi fortè *localis* aliqua inter utramque substantiam *conjunctio non intercedat.*

Ibidem. pag. 89. Sive igitur ad illum arcanum personalitatis τοῦ λόγου *influxum aut illapsum*, sive ad aliam aliquam *singularem Deitatis operationem*, per quam humana Christi natura in hypostasi τοῦ λόγου subsistat, hoc est, *ad hypostasin* τοῦ λόγου *quasi intime attracta sit*, & perpetuò in eâ conservetur ac sustentetur; sive *ad extraordinariam quandam* DEI *dispensationem, quâ* DEUS *olim singulariter in Christo homine habitaverit*, animo respiciamus; semper æterna Christi divinitas abundè probari poterit.

II. *Personam Christi non constare ex duabus Naturis, Divinâ & Humanâ, sed tantùm ex unâ, scilicet, humanâ.*

A WEL-

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. Fol. D. 2.* Ex quo etiam liquidò apparet, *humanam naturam in Christo esse ipsius Filij* DEI *personam*, cum necesse sit, si Filius DEI sit mortuus, ejus personam esse mortuam, & ita *merum somnium* id esse, quod à Papistis acceptum, Evangelici affirmant, Filij DEI personam esse revera *divinam naturam in Christo*, quâ humana sustentetur, quæ ipsa per se in Christo nequaquam sit persona.

ARTICVLVS XX.

De modo Redemptionis, per declarationem Iustitiæ & Misericordiæ DEI *in* CHRISTO.

CRedimus DEVM, qui summè & perfectissimè est tum misericors tum justus, 1. Filium suum misisse, ut naturam illam assumeret, quæ per inobedientiam peccarat, ut in ea ipsa natura satisfaceret, atque ut DEVS de peccato per acerbissimam mortem ac passionem Filij sui justas pœnas sumeret. DEVS igitur justitiam suam in proprio Filio, in quem peccata nostra conjecerat, ostendit, & exeruit: Bonitatem verò & Misericordiam suam in nos nocentes & condemnatione dignos, benignè effudit & exeruit, dum Filium

ſuum pro nobis, ex perfectiſsimo ſuo erga nos amore, morti tradidit, & eum rurſus propter juſtificationem noſtram è mortuis excitavit, ut immortalitatem & vitam æternam per illum conſequeremur.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Iuſtitiam* DEI *non neceſſariò poſtulare punitionem peccatorum, ſed* DEUM *poſſe, illæsâ juſtitiâ ſuâ, abſque ullâ ſatisfactione, peccata prorſus impunita dimittere: ac proinde non eſſe ſummè & perfectiſſimè juſtum.*

A CONR. VORSTIO, *Diſp. de Deo, pag. 396.* Non dicitur quòd juſtitia hæc DEI judicialis *condignam pœnam* ob quodvis etiam minimum delictum præcisè ac neceſſariò *exigat.*

Ibidem. pag. 397. Si abſolutâ poteſtate ſuâ DEUS uti vellet, peccata, ſi non omnia, ſaltem plurima *ſine irrogatione condignæ pœnæ* peccantibus condonare poſſet.

Ibidem. pag. 399. Falſum eſt quod nullum omninò *peccatum per juſtitiam* DEI poſſit *impunitum dimitti.*

Ibidem. pag. 331. DEO non minus licitum eſt *de jure ſuo remittere*, quam jus ſuum retinere, aut perſequi. *Item.* Juſtum omninò eſt apud DEUM tam *non punire*, quam punire, pro ut ipſi viſum fuerit.

Paraſc. ad Piſcat. pag. 24. Theſis hæc *conſiſtere non poteſt*, quâ dicitur, non poſſe DEUM ſalvâ juſtitiâ ſuâ ullum vel minimum peccatum impunitum dimittere.

Ibidem. pag. 25. Naturalis juſtitia *in* DEO *revera non eſt*: ſive extra hypotheſin decreti, nulla uſpiam in DEO eſſe apparet.

Tractat. de Satisfact. pag. 36. Quæritur an in DEO ſit eſſentialis

tialis aliqua justitia, quæ omnino peccata puniri dictet? ac proinde plenam pro ijs satisfactionem (siquidem ab ijs liberandi simus) exigat? Respondeo *nullam esse in* DEO ejusmodi justitiam.

Epist. ad N. 10. Mart. 1595. Sic igitur credo: Dominum DEUM pro supremâ suâ autoritate posse, si velit, omnia peccata hominibus condonare, *nulla pro ijs accepta solutione:* hoc est, statuo *nullam esse justitiam* DEI essentialem, quæ omninò & simpliciter exigat punitionem ob peccata, hoc est, *plenam omnium pœnarum solutionem non esse absolute necessariam*, quasi pendentem à necessitate divinæ naturæ.

Epist. ad N. & N. 15. Mart. 1598. DEUS potest peccata condonare, *nulla solutione accepta.*

A SIM. EPISCOPIO, *Disput. de Dom.* DEI, *thes. 13.* Quod DEUS ad omnia & singula *peccata puniendum per justitiam suam* adigatur, id verò nullò modo credere possumus.

A GER. VOSSIO, *contra Ravensb. pag. 86.* Parentes certè & reges minimè se obstrictos putant, ut *pro omnibus delictis satisfactionem* accipiant, Scio quanto perfectior sit DEI *justitia*, quam hominum: attamen mens humana impressas habet notitias, *divinæ naturæ imagines.*

Ibidem. Si *punire*, scilicet peccata, *esset naturale*, scilicet DEO (illâ nimirum actione, quæ secum fert necessitatem) non possit actio talis de personâ peccatoris in personam alteram transire.

A SLATIO, *Epist. ad N. 1608. Mart. 9. & Iun. 30.* Nulla in DEO proprietas est, quæ istam *satisfactionem necessariò postulat.* Iustitia namque naturalis DEI proprietas non est, uti neque misericordia.

ARTI-

ARTICVLVS XXI.

De Satisfactione Christi pro peccatis nostris.

CRedimus IESVM CHRISTVM summum illum Sacerdotem esse, in æternum cum jurejurando constitutum, secundum ordinem Melchisedeci, qui se nostro nomine coram Patre ad placandam ipsius iram cum plenâ satisfactione obtulit, 1. sistens seipsum super altare crucis, & sanguinem suum pretiosum ad purgationem peccatorum nostrorum profudit, sicuti id Prophetæ futurum prædixerant. Scriptum enim est *castigationem pacis nostræ super Filium DEI positam, & livore ejus nos sanatos esse. Item, ipsum tanquam ovem ad mactationem ductum*, atq; *inter peccatores & iniquos deputatum*, condemnatumq; à Pontio Pilato tanquam maleficum, etsi illum prius innocentẽ pronuntiasset. *Quæ igitur non rapuerat, persolvit, & justus pro injustis passus est*, idque tum in animâ suâ, tum in corpore: adeo ut sentiens horribilem illam pœnam, quam nos peccatis nostris commeriti

riti eramus, 2. aquam & ſanguinem ſudaverit: & tandem etiam exclamaverit, DEVS *meus, DEVS meus, cur deſeruiſti me?* Ea verò omnia pro remiſſione peccatorum noſtrorum pertulit. Quamobrem merito cum divo Paulo dicimus, *nos nihil quidquam ſcire, niſi* IESVM CHRISTVM, *eumq́ue crucifixum:* quinetiam *omnia pro ſtercoribus ducimus propter excellentiam cognitionis Domini noſtri* IESV CHRISTI, ut qui in ejus vulneribus omnis generis conſolationem capiamus. Itaq; nihil neceſſe eſt ut alias ullas rationes vel optemus, vel ipſi excogitemus, quibus DEO reconciliari poſſimus, præter hanc ſolam & ſemel peractam oblationem, quâ conſecrati ſunt & perfecti in perpetuum fideles omnes, qui ſanctificantur. Atque hæc eſt cauſſa cur ipſe ab Angelo IESVS vocatus ſit, id eſt, *Servator, quod ſervaturus eſſet populum ſuum à peccatis ipſius.*

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Chriſtum paſſione ſuâ pro peccatis noſtris non ſatisfeciſſe juſtitiæ divinæ.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. pag. B. 7.* Chriſti ſanguine *ſatisfactum juſtitiæ divinæ fuiſſe pro peccatis noſtris,* nec id uſquam extat, & apertè pugnat *cum liberali & juſtâ peccatorum remiſſione,* quam DEVS nobis per IESVM Chriſtum obtulit.

A VORSTIO, *Epist.ad N.10.Mart.1595*. Credo Dominum DEUM liberè decrevisse peccata non condonare, sed severiter ulcisci in omnibus peccatoribus: atque ita solutionem *ab ipsisimet exigere*: contrà verò pœnitentibus & se ad ipsum convertentibus omnia peccata condonare, *non acceptâ pro ijs plenâ solutione.* Credo IESUM Christum *idcirco potissimùm in mundum venisse*, ut nobis peccatoribus hanc *liberalitatem* non modò annunciaret, & multis modis confirmaret, sed etiam reipsa *communicaret*: videlicet, *quatenus nos à peccatis* avertit, & ad DEUM per seipsum convertit. Credo IESUM Christum ut *illius gratiæ* nos participes efficere posset, oportuisse DEO usque ad mortem obedire, & *multa acerba perpeti*: quæ omnia *rationem meriti* habent, & ad nostram salutem *sunt ordinata.* Unde non immeritò *Satisfactionis titulo* insigniuntur: quia idipsum efficiunt, quod *propriè dicta solutio* efficere solet: videlicet liberationem nostri ab omni obligatione seu reatu pœnarum. *Aliam Christi Satisfactionem* ex sacris literis extrui posse non credo.

Tract. de Satisf. confess. pag.13. Si perfecta *solutio* fuisset absolutè *necessaria, non* posset DEUS jure à nobis exigere conditiones pœnitentiæ, fidei, &c. ad obtinendam peccatorum remissionem.

Ibidem. Fieri non potest, ut ejusmodi absoluta totius *debiti nostri solutio* consistat *cum liberali illâ & munificâ peccatorum condonatione*, quam S. literæ pasim DEO tribuunt, *etiam cum de Christo ejusque* λύτρῳ *pro nobis impenso agunt.*

Catal.error.Sibr.err.66.p.38. Idipsum *remitti* vere non potest., quod *plena solutione* jam deletum est, & vice versâ, quod verè *condonatum* est, pro eo *plena solutio* justè exigi non potest.

Ibidem. Plena solutio & vera *remissio* in eodem debito aut *delicto* perfecte concurrere non possunt.

A SLATIO, *Epist.ad N.Mart.9.& Iun.30.1608.* Quæstio octava est: Num Christus propriè pro nobis satisfecerit? Resp. *Id infitiamur.* 1. Quia nulla in DEO proprietas est, quæ istam satisfa-

ſatisfactionem neceſſariò poſtulat. Juſtitia namque naturalis DEI proprietas non eſt, uti neque miſericordia. 2. Quia pugnant, peccatorum debita cuiquam *remittere*, & tamen plenariam *ſatisfactionem* eorum nomine accipere. 3. Quia fœderi, quo DEVS gratioſam peccatorum remiſſionem promiſit, nec non modo reconciliationis adverſatur. Legitur namque DEVM in Chriſto mundum ſibi reconciliaſſe. Qui? *Plena ſatisfactione? minimè*: ſed peccata ipſis non imputando. 4. Quia ſatisfactio ejuſmodi in ſacris literis non legitur. 5. Accedit quod Chriſtus DEVM conciliaſſe non legitur, ut mundo iratum, ſed quod mundum DEO reconciliaverit. 6. Adde quod neque conditionem fidei ab ullo poſtulare, neque ob peccata quemquam punire poſſet DEVS.

II. *Chriſtum non eſſe perpeſſum eandem illam pœnam, quam nos peccatis noſtris eramus commeriti: ac proinde obedientiâ ſuâ non plenè ſatisfeciſſe juſtitiæ divinæ pro nobis ſecundum Legis rigorem, ſed ſecundum peculiare aliquod pactum à Patre cum ipſo initum: Patrem verò hanc Filij obedientiam loco perfectæ ſatisfactionis per acceptilationem gratioſè æſtimare.*

A VORSTIO, *Epiſt. ad N. 10. Mart. 1595. conf. p. 6.* Non poſſum, ſi maximè velim, mihi perſuadere, IESVM Chriſtum *omnes pœnas nobis ob peccatum debitas* (inter quas excellit mors æterna, quam ille minimè ſenſit) in ſuâ perſonâ verè ſenſiſſe, & hac ratione totum debitum noſtrum diſſolviſſe.

Ibidem. DEVS non poteſt ullam à nobis conditionem, puta fidei, pœnitentiæ, charitatis erga fratres &c. exigere ad obtinendum remiſſionem peccatorum, *ſi id totum à Chriſto recepit, quod nos ei debebamus.*

Tract. de Satisf. confeſſ. pag. 14. Si DEVS *id totum* à Chriſtô exegit ac recepit, *quod nos ipſi debebamus*, ita ut nihil amplius exigendum reſtet, certè nihil de jure ſuo remiſit, nihil ſibi

debitum condonavit; quod tamen in omni verâ condonatione fieri necesse est.

Orat.Apol.pag.47. DEUS etiam in ipsâ IESU Christi satisfactione ἐπιείκειαν quandam, seu *rigoris moderationem* exercuit, hoc est, aliquid de stricto jure suo concessit, nec præcisè *totum id, quod nos ob peccatum meriti eramus,* à sponsore nostro IESU Christo exegit.

Catal.err.Sibr.pag.61. Dico Christum satisfecisse *per acceptilationem quandam,* non per rigidam identitatem.

Ibidem.pag.31. Acceptilatio autem illa quam ego hic agnosco, in eo posita est, quod DEUS obedientiam Christi tanquam æquipollentem *loco plenissimæ satisfactionis* acceptarit: nec interim præcisè *id omne* à Christo exegit, *quod* juxta rigorem justitiæ *à nobis peccatoribus* exigere poterat.

Parasc.ad Pisc.pag.25. Non nego peccata credentium, immò aliquatenus omnium hominum, in Christo sponsore verè punita fuisse: sed ita ut *multiplex* ἐπιείκεια, seu rigidi *iuris remissio* hic admixta fuerit.

Ab ARMINIO, *Artic.perpend.pag.33.* Perpendendum est, An justitiæ DEI non potuerit satisfieri, nisi *Legi satisfieret. Item.* An idem sit *iustitiæ* DEI *in Christo* satisfactum esse, & *Legi per Christum* esse satisfactum. *Item.* An actus obedientiæ à Christo præstitæ, quâ justificamur, non fuerint ipsi impositi secundum peculiare mandatum Patris, & *peculiare pactum à Patre cum ipso initum,* quo illos actus obedientiæ præscripsit & stipulatus est, additâ promissione, fore ut æternam redemptionem ijs acquireret, & semen videret. quod istâ obedientiâ per scientiam sui, id est, fidem in se justificaret.

Ibidem.pag.34. Perpendendum est, an Electus *in Christo pœnam luerit,* & obedientiam præstiterit reipsa, an verò *æstimatione divinâ* tantùm. Et, an æstimatio divina quâ luisse & præstitisse æstimatur, sit actus præcedens justificationem.

ARTI-

ARTICVLVS XXII.

De Fide Iustificante, & de Iustificatione Fidei.

CRedimus Spiritum Sanctum per veram magni hujus mysterij cognitionem in cordibus nostris veram Fidem accendere, quæ IESVM Christum cum omnibus suis meritis amplectitur 1. eumq; sibi proprium vindicat, 2. nihilque deinceps extra illum quærit. Necesse enim est, aut omnia quæ ad salutem nostram requiruntur in Christo non esse: aut si sint in eo omnia, eum qui fide IESVM Christum possidet, simul etiam perfectam habere salutem. Itaque horrenda est omninò in DEVM blasphemia, asserere Christum minimè sufficere, sed alijs quoque rebus opus esse. Inde enim sequeretur, Christum ex parte tantùm esse Servatorem. Meritò igitur jureque dicimus cum D. Paulo, *Nos sola fide justificari*, seu *Fide, absque operibus Legis*. Cæterùm nequaquam intelligimus

mus esse fidem ipsam, propriè loquendo, 3. quæ nos justificet, [seu propter fidem nos justificari,] nam illa tantum est velut instrumentum, 4. quo Christum justitiam nostram apprehendimus. Christus igitur ipse nobis imputans omnia sua merita, & tam multa sanctissima opera, quæ pro nobis præstitit, est justitia nostra: 5. Fides vero est instrumentum, quo illi in communionem omnium bonorum ipsius copulamur, atque in eadem retinemur. Adeò ut illa omnia postquam nostra facta sunt, nobis plus quam sufficiant ad nostri à peccatis absolutionem.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Ad Fidem justificantem non necessariò requiri cognitionem* IESV *Christi: sed posse homines sine eius cognitione servari, seu justificari.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. F. 3.* Sextus *error* est, quo existimant Evangelici, eos qui sub V. T. coram DEO justi sunt habiti, propterea tales habitos fuisse, & salutis æternæ nobiscum idcirco fore participes, quod sicut nos in Christum jam exhibitum, sic *illi in eundem, quem exhibitum iri sperabant, omninò crediderint.* Huic errori universa Scriptura repugnat, quippe quæ *fidei in Christum* nullam prorsus mentionem, nisi pro eo tempore, quo exhibitus fuit, usquam faciat,

Ibidem.

Ibidem. Caussa hujus erroris est quod creditum fuerit, nullam salutarem & justificantem fidem unquam fuisse, nisi *fidem in Christum.*

Ibidem. Vide autem de fide in DEUM, quæ hominem illâ præditum ipsi DEO gratum facit, & ante Christi adventum, *sine ullius in ipsum Christum fidei consideratione* idipsum verè præstabat, caput XI. ad Hebræos.

Ab ARMINIO, *Resp. ad 31. Art. pag. 87.* Consideretur descriptio fidei Abrahami ab Apostolo, Rom. 4. prolixè facta, & apparebit in illâ IESU *Christi mentionem non expressè fieri,* sed illa implicatione, quam explicare non cuivis facile sit.

Ibidem. pag. 113. Conferatur quod dicitur Rom. 4. penè per totum caput de fide Abrahami, & *ejus fidei objecto*, & monstretur ex eo, quod Abraham in promissis istis, quæ fide apprehendit, *Christum viderit.*

A PETRO BERTIO, *Discept. Epist. pag. 73.* Apostolus ad Hebræos toto capite undecimo, hoc unum ex professo docet, *Fide* apprehendente res à sensibus humanis remotas Patres olim justitiæ testimonium reputasse, hoc est, *justificatos esse.* Et pag. 76. Nam *de Christo* quidem locis ex Epistolâ ad Hebræos allatis *disertè nihil.*

A VENATORE, *Declarat. pag. 183.* Propter multas rationes salus alligari non potest historicæ *de* IESU *morte & passione fidei. Item.* Nam si requiratur externa historiæ cognitio, & *sine fide de* IESU *passione & morte* quis DEO gratus esse nequeat: quid fiet miseris Iudæis, quibus eâ de re in omnibus Mosis libris ne ullum quidem verbum disertè manifestatum est?

Ibidem. pag. 184. Nunquam legi pium illum Iobum, pænitentes Nineuitas, & pium illum centurionem Cornelium *ullam litteralem cognitionem seu fidem historicam habuisse de passione* IESU, *ejusque causa, & tamen* DEO *grati fuerunt.*

Ibidem. Multi *Ethnici* habuerunt etiam inter ipsos illustria testimonia *interni, spiritualis, & veri cultus divini.*

Ibidem. pag. 185. Nemo potest pervenire ad possessionem

gloriæ

gloriæ æternæ ſine miſericordiâ, de quâ miſeri *Ethnici* aliquam habuerunt coruſcationem, atque in neceſſitatibus ſuis, vel in extremo vitæ agone, *ad gratiam* DEI *ſe converterunt*, exclamantes: O Ens entium miſerere mei.

Contra Paſt.Dordr.pag.131. Nego unicam viam ad ſalutem eſſe *intelligere vitam*, paſſionem, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlos & reliqua omnia, quæ de IESV in novo Teſtamento deſcripta invenimus.

Ab EPISCOPIO, *Diſput.de Diſcr.V.& N.T.theſ.21.* Patres crediderunt firmiter promiſſis divinis, quæ typos & umbras rerum cæleſtium continebant, quæque Chriſtum, ejuſque beneficia, *iuxta intentionem divinam* repræſentabant & præfigurabant: *quâ ratione* in Chriſtum IESVM reſpexiſſe fidem illorum ſtatuimus. An verò fides hæc in omnibus & ſingulis (Prophetas enim & alios nonnullos excipi volumus) conjunctam ſibi habuerit *notitiam* & ſcientiam claram atque apertam *typorum atque umbrarum*, quod videlicet typi atque umbræ eſſent rerum earum, quæ nobis nunc apparent, & in Chriſto poſtmodum evenerunt, diſquiri permittimus.

II. *Ad Fidem juſtificantem non requiri certam fiduciam, quâ fidelis ſibi applicat merita Chriſti, ac certò perſuadet peccata ſibi propter merita ac ſatisfactionem Chriſti eſſe remiſſa.*

Ab ARMINIO, *Artic.perpend.pag.27.* Fides juſtificans non eſt quâ quis credit *ſibi propter Chriſtum* eſſe remiſſa peccata.

A VORSTIO, *De Satisf.in Confeſſ.pag.14.* Sequitur eos fallere & falli, qui ſolam illam ſpecialem, ut vocant, *perſuaſionem de Satisfactione Chriſti pro ſe nominatim præſtitâ* Fidem juſtificantem eſſe putant.

Ibidem.pag.32, Hæc definitio fidei, quæ ſtatuit eam nihil aliud eſſe, quam credere peccata noſtra eſſe deleta per ea quæ Chriſtus eſt paſſus, *eſt falſa*, cum talis fides *in Scripturâ ſit in-*

ſit inaudita. Item. Certum eſt Chriſtum id *nunquam docuiſſe*, nec quidquam ijs, qui hanc fidem haberent, *promiſiſſe.*

Catal. error. Sibr. pag. 62. Sacræ literæ docent Fidem idem eſſe, quod *Obſervatio Chriſtianiſmi. Item.* Credere idem eſſe, quod *obſervare Chriſti præcepta.*

Ab EPISCOPIO, *Diſp. priv. 15. theſ. 5.* Fiducia ſpecialis miſericordiæ, *quâ credo mihi remiſſa eſſe peccata gratis*, non eſt eſſentiale fidei conſtituens, ſed conſequens tantùm.

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. fol. B. 6. 7.* Explicandus autem apertius hîc eſt ingens Evangelicorum *error* in definiendo, *quænam ſit Fides in Chriſtum, qua juſtificamur.* Statuerunt meritò contra Pontificiorum ſententiam, Fidem iſtam eſſe *fiduciam*, atqui interim quæ & qualis ſit iſta fiducia non animadverterunt. Statuerunt enim hanc fiduciam eſſe ſibi firmiter hoc ipſum perſuadere & ſic confidere, *quod per Chriſti mortem deleta fuerint peccata noſtra,* quodque DEVS *propter ipſum Chriſtum* nos acceptos & gratos habeat.

Ibidem. Non igitur hæc eſt illa fides in Chriſtum, ſeu per Chriſtum in DEVM, quâ juſtificamur; ſed ea quæ verè ac propriè eſt *fiducia*, nempe Chriſto, ſeu DEO per Chriſtum, planè confidere, hoc eſt, *ſub ſpe ea* conſequendi, quæ à DEO per Chriſtum ijs ſunt promiſſa, qui ipſius Chriſti præcepta ita ſervaverint, ut meritò obedientes dici poſsint, *ipſi* DEO *& Chriſto obedire*, & ſic, ut uno verbo dicam, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulare.

A REMONSTRANTIBVS, *Reſp. ad Epiſt. VVal. pag. 88.* Fides juſtificans non eſt, quâ quis *credit ſibi remiſſa eſſe peccata.*

III. *Fidem propriè loquendo, ſeu τὸ Credere, nos juſtificare: ſeu eſſe juſtitiam noſtram, quâ coram* DEO *conſiſtimus & juſtificamur.*

Ab ARMINIO, *Epiſt. ad Hipp. pag. (.·.) 2.* Dico ipſum fidei actum,

actum, id est, τὸ Credere, imputari in justitiam: idque *propriò sensu*, non metonymicè.

Ibidem. Fides gratiosè *pro justitiâ habetur, per gratiosam dignationem* DEI.

Ibidem. Fides est *objectum imputationis divinæ.*

Declar. pag. 65. Quæstio movetur de verbis Apostoli Pauli ad Romanos cap. 4. hisce videlicet, *Fides imputatur ad justitiam,* utrum nempe ea debeant *propriè* intelligi, sicut *ipsa fides, tanquam actus* juxta mandatum Evangelij præstitus, imputetur coram DEO in, sive ad justitiam, idque ex gratiâ, cum non sit ipsamet *justitia Legis*: an verò sic intelligi debeant, ut justitia Christi per fidem apprehensa nobis in justitiam imputetur, id est, *figuratè atque impropriè.* Ego *priorem sententiam* secutus sum in thesibus de Justificatione sub me disputatis.

Ibidem. pag. 66. Statuo benè *& propriè dici* fidem homini credenti in justitiam ex gratiâ imputari.

A VORSTIO, *Catal. error. Sibr. pag. 41.* Fides nobis ad justitiam imputatur *formaliter.*

Ibidem. pag. 46. Nos asserimus fidem *imputativè pro justitiâ haberi,* seu justitiæ loco nobis duci. *Item. Loco perfectæ justitiæ* fides nostra nobis imputatur, & à DEO ducitur.

Confess. pag. 35. Cum fides nobis dicitur imputari ad justitiam, nihil aliud significatur, quam quod *fides loco nostræ justitiæ ducitur* nobis.

A BERTIO, *Epist. ad Sibr. pag. 81.* Cum Scriptum fidei tribuat, ut reputetur ad justitiam, ut salvet, ut ex eâ vivamus, sequitur *fidem propriè accipiendam esse,* pro habitu, sive obedientia illa, quæ præstatur Evangelio, eaque nos *propriè*, sed tamen gratis justificari à DEO, & servari.

Ibidem. pag. 85. Justificare est *universalis affectio* fidei.

Ibidem. pag. 48. Fides substituta est in locum plenæ observationis Legis, ideoque eam per gratuitam ratishabitionem DEI, nullo nostro merito, *censeri pro universâ justitiâ Legis.*

A IOAN. ARNOLDO. *Contra Gomar. pag. 35.* Fides in Justificatione

catione consideratur tanquam *Lex, postulatum, & conditio,* quam debemus præstare, ut propositum præmium justitiæ consequamur.

Ibidem. Arminius dicit DEUM in nostri Justificatione ita spectare fidem, *ut æstimet eam pro obedientiâ & pro opere* secundum Evangelicam postulationem & Legem præstito. *Item.* Arminius intelligit DEUM fidem nobis *imputare pro obedientia.*

Ibidem. pag. 41. Arminius dicit fidem justificare *ut actum,* qui *opus* illud DEI est, Ioan. *6.* atque *ipsum* τὸ *credere* in Christum nobis in justitiam imputari.

A REMONSTRANTIBUS, *Respons. ad Epist. VVal. pag. 86.* DEUS qui in fœdere Legali exactam mandatorum suorum obedientiam exigebat, nunc in fœdere Evangelico fidem exigit, & illam *gratiosa æstimatione* propter meritum & omnibus numeris exquisitissimam Christi obedientiam *habere loco legalis obedientiæ.*

IV. *Fidem in negotio justificationis non debere considerari ut instrumentum apprehendens Christi justitiam.*

Ab ARMINIO, *Resp. ad 31. Art. pag. 159.* Fides *non qua instrumentum,* sed quâ actio imputatur in justitiam.

A IOAN. ARNOLDO, *Contra Gomar. pag. 41.* Arminius dicit ipsum credere in Christum nobis in justitiam imputari, *non ut instrumentum. Item.* Arminio displicuit, quod fides dicatur esse *instrumentalis caussa* nostræ justificationis.

A SIM. EPISCOPIO, *Disput. priv. de justif. thes. 5. 6. Fides* itaque in negotio justificationis consideranda est, *non tanquam instrumentum* apprehendens justitiam hanc quæ imputatur, sed tanquam apprehendens Christum IESUM, per quem justitia illa impetrata est, *Instrumentum* tamen propriè *dici non potest*, sed conditio fœdere Evangelico præscripta & requisita.

V. *Iustitiam Domini nostri* IESV CHRISTI *non esse justitiam illam, quæ in nostri justificatione nobis à* DEO *imputetur in justitiam nostram, quâ coram* DEO *consistimus, seu justificamur: sed esse tantum caussam meritoriam, quâ impetratum sit ut justitia aliqua nobis ipsis inhærens in justitiam nostram à* DEO *per gratiosam æstimationem imputetur.*

A WELSINGIO, *De Offic.hom.Christ.fol.B.4.6.* Sententia Evangelicorum de Justificatione ejusmodi est, ut mirum videri possit, si quis eam amplexus, vitam tamen homine Christiano dignam interea ducat. Nam invaluit apud eos opinio *imputatæ credentibus justitiæ Christi*, quâ scilicet fiat, ut etiamsi Christi fideles, & sic justificati coram DEO homines, propriâ sanctitate vitæ non sint præditi, non tamen istâ carere dici possint, quippe *quibus* DEVS *Christi sanctitatem & innocentiam imputet.*

Ibidem. Apostolus Rom.4. affirmat quidem *nobis imputari iustitiam*, seu credentes in DEVM pro justis haberi: sed *quod Christi justitia nobis imputetur*, hoc est, ejus sanctitas & innocentia nostra esse censeatur, de eo nihil prorsus loquitur, vel loqui cuiquam meritò videri potest.

Ab ARMINIO, *Epist. ad Hippol.* (.·.) *2.* Christus & obedientia ejus *caussa justificationis impetratoria* seu meritoria est, at *non objectum justificationis seu imputationis divinæ*, quasi DEVS *Christum ejusque justitiam nobis imputet in justitiam*, quod fieri nequit.

Declar. pag.66. Dico me credere peccatores solâ Christi obedientiâ justos constitui: & quod justitia Christi sola *meritoria caussa* sit, propter quam DEVS credentibus peccatum condonet: & statuo benè & *propriè* dici *fidem* homini credenti *in justitiam* ex gratiâ imputari. Hanc sententiam Arminij BERTIVS testatur, *Epist. ad Sibr. pag. 119.* meritum Christi excludere.

A VORSTIO, *Catal.err.Sibr.pag.41.* Nusquam disertè scriptum est, obedientiam Christi *nobis ad justitiam, imputari,* aut saltem *esse justitiam illam, per quam nos justificamur,* puta *formaliter, & non effectivè.*

Ibidem.pag.46. Obedientia & satisfactio Christi *non propriè & formaliter,* sed *effectivè seu metonymicè* justitia imputata dicitur.

Ibidem.pag.50. Christi obedientia consideratur in justificatione nostri *ut caussa efficiens & meritoria*, & obedientia nostra *ut conditio sine qua non. Item.* Apostolus per justitiam *suam* non simpliciter eam intelligit, quam revera *in seipso* haberet, licet à DEO gratis in Christo donatam: sed quam ipse per opera legis sibi *ex seipso* comparasset.

Ibidem.pag.54. Obedientia Christi *non imputatur nobis pro justitia formali*, sive ad hoc ut per eam formaliter justi simus. *Effectivè* tamen imputari nobis & potest & solet.

Ibidem.pag.61. Vera assertio est Fidem justificantem esse *illam inhærentem justitiam*, quam Papistæ urgent, si de fide formatâ sermo sit. Talis enim fides iuxta stylum Scripturæ non malè *inhærens justitia* vocari potest: quippe habitus spiritualis ex fide, spe, charitate compositus, quem *justitiæ* titulo fraudare velle, desipere est.

Ibidem. Christi satisfactio nobis non *formaliter*, sed *effectivè* imputatur.

A BERTIO, *Epist.ad Sibr.pag.69.70.* Dices ineptum videri nos habitu, sive *qualitate nobis inhærente* justificari & servari. Quid? ineptumne etiam videbitur, si *id dicat* DEUS?

Ibidem.pag.74. Si ergo fides est qualitas nobis inhærens: hi verò omnes quos commemorat Apostolus, fide justificati sunt, consequens est eosdem *qualitate sibi inhærente justificatos esse.*

Item.pag.75. Neque enim quemquam ita infantem esse puto, ut post tot, tamque validas ἀποδείξεις dicturus sit, fidem hic *correlative* (ut loquuntur) significare Christum ipsum & *justitiam Christi.*

A SIM. EPISCOPIO, *Dišput. privat. de iuštific. theš. 4.* Non itaque *iuštitia propriè Chrišti*, nedum actava aut paſſiva, eſt juſtitia illa quæ imputari dicitur, ſed id quod Chriſtus utrâque promeruit, & nos per ſolum Chriſtum IESVM conſequimur: *non* enim *iuštitia Chrišti propriè id eſt quod imputatur,* ſed id propterquod imputatur nobis credentibus in ipſum juſtitia.

ARTICVLVS XXIII.

De Iuſtitia noſtra qua coram DEO *conſiſtimus.*

CRedimus beatitudinem noſtram ſitam eſſe in peccatorum noſtrorũ remiſsione, quæ fit propter IESVM Chriſtum: atque in eâ contineri juſtitiam noſtram coram DEO: uti nos D. Paulus docet ex Davide, quum pronuntiat *Beatum eum hominem, cui* DEVS *imputat juſtitiam abſque operibus*. idem Apoſtolus ait, *Nos gratis iuſtificari per redemptionem factam in Chriſto* IESV. Ac propterea hoc fundamentum [in æternum] firmum retinemus, & DEO gloriam omnem tribuimus, de nobis ipſis quam humiliter ſentientes, ut qui probè noverimus qui, qualeſque

leſque ſimus revera. Ideoque de nobis ulliſve noſtris meritis nihil quidquam præſumimus, ſed ſoli IESV Chriſti crucifixi obedientiæ innixi, in eâ prorſus acquieſcimus, quæ noſtra fit quando in eum credimus 1. Hæc porrò una abũdè ſufficit, tum ad omnes noſtras iniquitates obtegendas, tum etiam ad nos tutos ſecuroſque reddendos adverſus omnes tentationes. Illa enim procul à conſcientiâ abigit omnem metum, omnem horrorem, omnem denique formidinem, quò propius ad DEVM accedamus, nec primi illius noſtri parentis exemplum imitemur, qui præ metu fugiens, ficulneis ſeſe folijs obtegere & occultare conatus eſt. Et ſanè ſi nobis ipſis, aut ulli alteri creaturæ vel tantillum nitentes coram DEO nos ſiſtere oporteret, certum eſt nos ſtatim abſorptum iri. Idcircò cum Davide nobis ſingulis potius eſt exclamandum, *Domine ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo ullus vivens.*

Contra

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Iustitiam nostram, quâ coram* DEO *consistimus, non esse justitiam Christi, quæ extra nos est, sed esse justitiam nobis ipsis inhærentem.*

Ab ARMINIO, *Epist. ad Hipp.* (∴)2. Fieri non potest, ut DEVS *Christum ejusque justitiam nobis imputet in justitiam.*

Ibidem. Christus cum obedientiâ suâ *non est obiectum imputationis divinæ.*

Ab EPISCOPIO, *Disput. privat. de Iustif. thes.* 4. Iustitia Christi *non est proprie id quod imputatur*, sed id propter quod imputatur nobis credentibus in ipsum Justitia.

A BERTIO, *Epist. ad Sibr. pag.* 69. 70. Non est ineptum dicere, cum DEVS ipse id dicat, nos *habitu seu qualitate nobis inhærente justificari.*

Ibidem. pag. 74. Si fides est qualitas nobis inhærens: hi verò omnes, quos commemorat Apostolus, fide justificati sunt, consequens est eosdem *qualitate sibi inhærente justificatos esse.*

A VORSTIO, *Catal. err. Sibr. pag.* 50. Apostolus Phil. 3. 9. per justitiam *suam* non simpliciter intelligit eam, *quam revera in seipso haberet*, licet à DEO gratis in Christo donatam: sed quam ipse per opera Legis sibi *ex seipso* comparasset.

Ibidem. pag. 61. Fides quæ per charitatem operatur, non malè *inhærens justitia* vocari potest; quippe habitus spiritualis ex fide, spe, charitate compositus, quem *iustitiæ* titulo fraudare velle, desipere est.

In Anti-Bell. pag. 613. Cavendum ne quemquam statuamus justificari absque verâ & vivâ fide, quæ *fides* rectè intellecta *est iustitia illa inhærens*, quam Adversarij semper hic urgent.

ARTI-

ARTICVLVS XXIV.

De Sanctificatione, & de bonis operibus.

CRedimus veram hanc fidem per auditum verbi DEI & Spiritus Sancti operationem in nobis productam, nos regenerare ac veluti novos homines efficere, ut quos ad novam vitam vivendam excitet, & à peccati ſervitute liberos reddat. Tantum abeſt igitur ut fides hæc juſtificans à rectâ ſanctáque vivendi ratione avocet aut tepidiores efficiat 1. ut contrà abſque illâ nemo unquam quidquam boni ex amore DEI agere atque operari poſſit, ſed tantùm ex amore ſuiipſius & ex metu condemnationis. Fieri itaque non poteſt, ut hæc fides ſancta in homine ſit otioſa. Neque enim loquimur de fide inani, ſed de eâ tantum, quæ in Scripturâ dicitur *per charitatem operari*, quæque impellit hominem, ut in illis ſeſe operibus exerceat, quæ DEVS ipſe in verbo ſuo præcepit. Hæc verò opera à ſincerâ fi-

dei hujus radice emanantia, ideò demum bona & DEO grata ſunt, quia per illius gratiam ſanctificantur: ad nos autem juſtificandos nullius prorſus ſunt momenti 2. Fide enim in IESVM Chriſtum juſtificamur, & quidem priuſquàm bona ulla opera ediderimus 3. Neque enim magis ante fidem opera noſtra bona eſſe poſſunt, quam fructus arboris eſſe poſſunt boni, priuſquam arbor ipſa bona fuerit. Facimus igitur bona quidem opera, ſed non ut aliquid ijs promereamur. Quid enim promereri nos poſſimus? Quinimò DEO magis magiſque ad bona opera, ſi quæ facimus, ſumus obſtricti, non DEVS nobis. DEVS enim is *eſt, qui efficit in nobis, ut & velimus, & ut efficiamus, pro gratuita ſua benevolentia.* Unde ad illud nobis ſemper eſt reſpiciendum quod ſcriptum eſt: *Quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, nam quod debuimus facere, hoc fecimus.* Interea non negamus DEVM bona opera in ſuis remunerari: ſed id merâ ſuâ gratiâ fieri dicimus, ut qui dona ſua in nobis coronet, 4. Cæterum quamvis bona opera faciamus, nequaquam tamen

tamen ullam ſalutis noſtræ ſpem in illis collocamus. Nulla enim opera edere poſſumus, quæ non ſint carnis noſtræ vitio polluta, ac proinde ſupplicio pœniſque digna. 5, Quod ſi etiam aliquod ejuſmodi opus proferre quiremus, ſola tamen peccati recordatio ſufficeret, ad illud è conſpectu DEI removendum. Itaque ſemper in dubio eſſemus, hinc inde fluctuantes, abſq; ulla certitudine, & miſeræ noſtræ conſcientiæ ſemper vexarentur, niſi unico merito mortis & paſſionis Servatoris noſtri niterentur, & in illo acquieſcerent.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Doctrinam, quâ docetur, homines juſtificari ſolâ fide, ſeu ſolâ juſtitiâ Chriſti fide apprehensâ, nobiſque gratis imputatâ, reddere homines tepidos ac ſecuros, & à ſanctitatis ſtudio avocare.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. fol. B. 4.* Sententia Evangelicorum ejuſmodi eſt, ut mirum videri poſſit, ſi quis eam amplexus *vitam* tamen *homine Chriſtiano dignam interea ducat.*

Ibidem. fol. B. 7. Cum docetur bona opera ad nos juſtificandos nihil pertinere, ſed tantum eſſe fructus fidei, quâ homo coram DEO juſtificatur; quid inveniri potuit aptius ad hominem in uno pluribuſve peccatis manentem, *in*

eo ſtatu perpetuò conſervandum, eumq; planè deterrendum à ſtudio ſeſe à peccatorum laqueis extricandi.

Ibidem.fol.8. DEO & Chriſto obedire, & non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum vivere, iſta *Evangelicorum fides* certè nec in ſeipsâ, ut deberet, continet, *nec etiam vel efficit, vel efficere poteſt.*

A VORSTIO, *Catal. err. Sibr. pag. 33.* Si certi ſumus poſtquam juſtificatio ſemel eſt impetrata, qualitatem pœnitentiæ certò ſecuturam, perſuaſio hæc *nil niſi profanam carnis ſecuritatem parere* poteſt.

A BERTIO, *Epiſt. ad Sibr. pag. 99.* Cum extra hominem omnia ponimus in Chriſto, *periculum* imminet Eccleſijs noſtris *à profanitate & ſecuritate.*

II. *Opera à ſincerâ fidei radice emanantia non excludi à juſtificatione, ſed tantum opera Legis, quæ ex viribus noſtris proficiſcuntur, & quibus perfecta & continua totius Legis obſervatio præſtatur. Ac proinde nos juſtificari coram* DEO *operibus noſtris, quæ ſecundum Evangelium ex fide præſtamus.*

A VORSTIO, *Catal. err. Sibr. pag. 49.* Scopus Apoſtoli, omniaque ipſius argumenta, quæ pro gratuita hominis credentis juſtificatione illic (Rom. 4.) adducit, ſatis oſtendunt, eum ſemper hic loqui *de operibus Legis*; nec iſtorum nomine quidquam aliud intelligere, quam *perfectam & continuam totius Legis obſervationem.*

Ibidem. Oppoſita illa *gratiæ & operum*, quæ Rom. 4. & 11. Epheſ. 2. Tit. 3. & alibi extat, non ſimpliciter & univerſaliter, nec de quibuſvis *operibus, etiam fidei & fidelium proprijs*, ſed limitate de operibus Legis, *quæque meritoria eſſe putantur*, accipienda ſunt.

Ibidem. pag. 50. Apoſtolus Phil. 3. 9. per juſtitiam *ſuam* non ſimpliciter eam intelligit, quam revera in ſeipſo haberet, licet à DEO gratis in Chriſto donatam: ſed quam ipſe per opera Legis ſibi ex ſeipſo comparaſſet: prout vel

ex solâ antithesi *Legis & fidei* satis ibidem apparet. Lex enim urget *obedientiam ex viribus nostris præstandam*; at fides gratiam Christi hic prædicat.

Schol.pag.233. Nos *nostra obedientia, propriè sumpta, coram* DEO *justificamur*, ut conditione prius à nobis implendâ, quam ipsam justitiam, hoc est, veniam peccatorum reipsa obtinere atque impetrare possimus.

Catal.err.Sibr.pag.31. Fateor obedientiam nostram, *quæ ex Lege est*, à caussis justificationis excludendam esse, neque nos ullo modo justitiam & salutem obedientiâ nostrâ *promereri*; sed hoc *nihil ad obedientiam fidei pertinere* dico, & Apostoli verba Phil. 3. 9. huc quidquam facere nego.

Ibidem. pag. 61. Homo justificatur *per præcedentem pœnitentiam*, sive *per opera à Christo mandata*, si sub pœnitentiæ nomine conditio tantum præcedanea: item si per opera metonymicè fides operans accipiatur.

Ibidem. pag. 54. Operibus justificari, & fide per charitatem operante justificari, opposita interdum sunt, cum videlicet *opera Legis*, seu *meritoria coram* DEO, hic intelliguntur, Alioquin *falsa* est assertio.

Ibidem. DEUS ipse non modo possibile, sed & necessarium esse dixit, ut impius *per pœnitentiam justificetur.*

Confess. pag. 30. Via perveniendi ad vitam æternam est *observatio mandatorum* DEI, si non quatenus per Mōsem, saltem *quatenus per Christum explicata sunt.*

Ibidem. pag. 33. Justificamur per Christum, quatenus DEUS nobis *per illum dat resipiscentiam*, vel quod idem est, per eum *nos avertit à peccatis nostris.* Atque *huc pertinent omnia Scripturæ loca*, quæ docent *sanguine Christi nostra peccata expiari*, vel *Christum esse pro nostris peccatis expiationem.*

Ibidem. pag. 14. Nos dicimur *expiare peccata nostra*, cum *ab iis aversi* veniam eorum ex DEI liberalitate obtinemus.

Catal. err. Sibr. pag. 92. Fides (quâ justificamur) idem est quod *observatio Christianismi.*

Plen. resp. fol. B. 1. Hominem fide justificari, esse idem quod

obſervatione Chriſtianiſmi juſtificare, ſi tantum Synecdoche hic notetur.

A P.BERTIO, *Epiſt.ad Sibr.pag.49.& 51.* Opus, ſi accurato examine rem penſites, duplex eſt, Legis & Evangelij: Opere Legis nemo ſalvatur, ut ante poſitum eſt, quia nemo *Legem præſtat. Opere verò Evangelico,* quod dicitur *obedientia fidei, obedientia Evangelij, quemquam ſalvari quis negabit*, niſi qui ſtatuit neminem credere?

Ibidem.pag.52. Certè ſi fides credentis reputatur ei *in juſtitiam*: fides autem eſt opus credentis, neceſſe eſt *opus credentis reputari*: quidquid contra afferri poſſit.

Ibidem.pag.54. Eadem eſt ratio hujus concluſiunculæ: Fides ſervat. Fides eſt opus. Ergo *opus ſervat.* Sed quod opus? *opus Evangelij*, & ut Chriſtus loquitur, opus DEI. *Item.* Itaque beatus Paulus quotieſcunque de operibus in cauſsâ juſtificationis agit, *non excludit opus fidei* (eſt enim in eo ut illud aſtruat) *ſed duntaxat opus Legis.*

A REMONSTR. *præfat. Armin. in cap. 7. ad Rom.* Tenendum hic ex Scripturis veram converſionem *præſtationemq; bonorum operum eſſe conditionem prærequiſitam ante juſtificationem.*

III. *Bona opera noſtra præcedere noſtri juſtificationem, non autem eam ſequi.*

A VORSTIO, *Catal.error.Sibr.pag.53.* Pœnitentia requiritur à juſtificandis, tanquam *conditio prævia.*

Ibidem.pag.54. Regula illa, quam Auguſtinus fortè primus tradidit, qua dicitur, *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur iuſtificatum*, humanitus tradita eſt, nuſquam autem in S.literis expreſſa, neque admittenda eſt, niſi cum nomine juſtificationis intelligitur converſio à peccatis ad juſtitiam.

A REMONSTR. *præfat. Armin. in 7. cap. ad Rom.* Præſtatio bonorum operum eſt conditio *prærequiſita ante iuſtificationem.*

IV. *Vitam æternam à* DEO *nobis dari tantùm ut mercedem operibus noſtris debitam.*

A RE-

A REMONSTR. *Leyd. Monſtr, doctr. paſt. Amſtel. fol. E. 2.* Sacra Scriptura proponit nobis vitam æternam *tantùm ut mercedem* noſtræ obedientiæ, ut præmium certantium, & coronam juſtitiæ.

Ab iiſdem contra concion. Feſti Hommij pag. 28. 29. Qui negat fidelibus licere facere bona opera ex intuitu *mercedis operibus noſtris debitæ*; ille naturam fidei, omnis Religionis, legiſlationis divinæ, vitæ, & mortis æternæ, pervertit & negat, Sanctorum imò & Domini noſtri IESV Chriſti obedientiam proſcindit, & hominibus perſuadet, non eſſe licitum ut permoveantur ad obedientiam rationibus atque argumentis ijſdem, quibus DEVS in verbo ſuo utitur, atque etiam ipſiſsimum ponit fundamentum Davidianorum & Libertinorum, qui vitam æternam negant.

V. *Regenitos poſſe præſtare bona opera, quæ ita ſint perfecta, ut nullo carnis noſtræ vitio ſint inquinata, neque ullis pœnis digna.*

Ab ARMINIO, *Artic. perpend. pag. 36.* Perpendendum eſt an *de bonis operibus fidelium* verè dicatur *immunda* eſſe inſtar panni menſtruati, eiſque competat dictum illud Eſai. 64. *Omnes juſtitiæ noſtræ* &c.

A REMONSTR. *Præfat. ad Arm. tract. in 7. cap. ad Rom.* Locus Eſaiæ, quo fatetur inter cætera *juſtitias ſuas ut pannum menſtruatæ eſſe*, pernitioſâ torſione corrumpitur: allegatur enim perpetuò, ac ſi ſenſus illius inferret *excellentiſsima quæque præſtantiſsimorum Chriſtianorum opera* eſſe, ut pannum menſtruatæ, hoc eſt *fœda coram facie* DEI.

A VENATORE, *Declar. pag. 183.* Optima etiam Ethnicorum opera non poſſunt aliter quam *dilectioni* DEI *& proximi conformia* cenſeri.

ARTI-

ARTICVLVS XXV.

De abrogatione Legis Ceremonialis: & de Convenientiâ V. & N. Testamenti.

CRedimus omnes Ceremonias & figuras Legis, omnes denique umbras cessasse, adventu Christi, adeò ut earum quoque usus inter Christianos jam tolli atque aboleri debeat. Interim tamen manet nobis illarum veritas & substantia in Christo, in quo omnes impletæ fuerunt. Legis verò & Prophetarum testimonijs adhuc utimur, ut nos ipsos in Evangelij doctrinâ confirmemus: 1. & omnem vitam nostram honestè ad DEI gloriam juxta ipsius voluntatem, componamus 2.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *In V. T. nullas extare Evangelicas promissiones de vitâ æternâ: ac proinde doctrinam Evangelij non posse confirmari testimonijs Prophetarum.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. E. 6.* Septimus *error* Evangelicorum est, quod crèdant vitam æternam non

non demùm ac primùm in N.T. sed *antea quoque in V. fuisse promissam*, & *ex ipso* DEI *promisso* à fidelibus ejus temporis expectatam. Quo vix quidquam potest inveniri *divinis testimoniis, & oraculis magis contrarium.* In illis siquidem, quemadmodum vitæ æternæ, à DEO hominibus ipsiúque populo suo promissæ, pro eo tempore quod Christi adventum præcessit, nulla prorsus fit aperta mentio, sic apertissimè commemoratur atque inculcatur, vitam æternam *demùm per* IESVM *Christũ promissam* fuisse, & per ejus Evangelium hominibus patefactam, cum ea prius apud DEVM lateret: ac denique novum fœdus *in melioribus promissionibus* quam vetus fuisse sancitum.

A VORSTIO, *De autor. S. Script. pag. 58.* Promisit Moses omnibus, Legem divinam quam ipse dedit, conservantibus, *multa fœlicia in hac vita* esse eventura. *Ibidem. pag. 59.* Nullo modo *hac in parte* Moses cum IESV Christo conferendus est.

Ab ARMINIO, *Disput. de Leg. & Evang. comp. thes. 6.* Discrimen inter Legem quatenus per Mosem data est, & Vetus Testamentum appellatur, & Evangelium, quâ Novi Testamenti nomine venit, tertium est *in materiâ* mandatorum & *promissionum.* Promissiones enim in V. T. plæræque *corporales* fuerunt & *terrenam hæreditatem* veteri homini convenientem, *spondentes*: Evangelium verò continet *promissionem hæreditatis cœlestis*, novo homini congruentis.

Ab EPISCOPIO, *Disput. de Conven. & Discr. V. & N. Test. thes. 5.* Secunda differentia V. & N. Test. *in speciali materia promissionum* consistit. Legis enim promissiones beatitudinem cœlestem præfigurantes, *temporales & de terrenâ fœlicitate* fuerũt. Evangelium vero, *melioris spei* introductio vocatur. Hebr. 7. 19. & 8. 6. *promissa* continere dicitur *maxima* & pretiosa 2. Pet. 1. 4. plenariam nimirum peccatorum remissionem, Spiritus S. copiosam donationem, *vitamq́ æternam* aliquando in cœlo degendam.

Ibidem. thes. 20. Pactum Vetus & Novum differunt secundò, *in speciali promissorum* & præceptorum *materiâ.* Pro-

missiones enim *pacti* cum Abrahamo initi cœlestem hæreditatem *adumbrabant*, quemadmodum cap. 17. Gen. & Epist.ad Gal.cap.3.vers.17.percurrenti perspicuum esse potest.Ibi enim *promissiones Abrahamo facta* tribus hisce capitibus comprehendi posse videntur: ut primum sit *de possidendâ terra fœlicissima Canaan*, vers.8. Secundum *de consequendo semine præter & supra naturæ ordinem & censum.* Vers. 16.17.&c. Tertium *de seminis benedictione in numero & fœlicitate*.vers.7.& Gen.22.17.

*Ibidem. thes.21.*Fideles V.T.crediderunt *bona animalis hujus vitæ ex promisso* ad se pertinere.

Disput.privat.19.de fœd.cum populo V.T. inito.thes.12. Promissiones a. pleræque V.T.carnales & *terrenæ* fuerunt. *Ibidem. Disp.45.De promissis N.fœderis.thes.2.* Promissa novi fœderis duûm generum sunt:alia pertinent ad vitam supernaturalem tantum,alia ad naturalem hanc sive animalem etiam. Primi generis duo sunt,*justitiæ*, sive justificationis à peccatis,cui conjuncta necessario est præmij remuneratio, sive *vitæ æternæ* donatio.Alterum Spiritus Sancti.

Disput.privat.13.de fœd.vet. thes. 5. Promissa verò omnia V.T. sunt carnalia & *temporalia* ad præsentem hanc vitam solummodò pertinentia.

Ibidem.Disput.14.de novo fœd.thes.8.Promissa novi fœderis duo sunt,*Vitæ æternæ*,quæ remissionem peccatorum & resuscitationem ex mortuis sibi præcedanea habet, & Spiritus Sancti.

II. *In novo Testamento à Christo alia perfectiora, ac præstantiora præcepta moralia esse præscripta, quam quæ tradita sunt in Lege morali à Mose & à Prophetis, ac proinde nos hodie in N.Test. non posse vitam nostram instituere secundum voluntatem* DEI, *si eam instituamus secundum testimonia seu præcepta moralia Legis & Prophetarum.*

A WEL-

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. D. 4.* Alius Evangelicorum *error est, quod non differant præcepta moralia N.T. à præceptis T.V. similiter moralibus*, hoc est, ad mores pertinentibus. *Ibidem.* Ex hoc ipso errore est natus alius *error* quo credunt in V.T. vel jussa vel *vetita fuisse, quæ tamen non fuerunt.* Idcircò ita credunt, quia utrumque Testamentum *eadem plane*, quod ad mores attinet, *præcipere ac prohibere* statuunt. Et Propterea verba illa Christi, *Matth. 5.* toties repetita, *Audivistis quod dictum est antiquis, &c. Ego autem dico vobis,* &c. ita interpretantur, ac si Christus Scribarum ac Pharisæorum perversas Legis Mosaicæ interpretationes reprehenderet, atque corrigeret; non autem *Legi Mosaicæ quidquam adderet*, eamque *ad præstantiorem exactiorémque formam* adduceret.

Ibidem. Per *ántiquos*, non recte seniores illi intelliguntur, quorum traditiones alibi à Domino rejiciuntur, sed illi potius intelligendi sunt, *quibus initio Lex Mosis in deserto tràdita fuit*: ac proinde non *dictum est àb ántiquis*, sed (ut Græca dictio simpliciter sonat) *dictum est antiquis*, videlicet *in ipsâ Lege Mosis*, omninò interpretandum est.

A VORSTIO, *Confess. pag. 29.* Quæritur, quid significet illud ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις? Resp. Dictum est *antiquis* vidilicet *in Lege Mosis*, non dictum est *ab antiquis* vidilicet Rabbinis: Nam Christus hoc loco *sua præcepta* etiam *ipsi Legi*, non autem Pharisæorum tantùm commentis opponit.

Ibidem. In V.T. *licita* erant divortia, etiam extra casum adulterij: In N.T. autem *prohibita* sunt, quippe *in quo major sanctimoniæ ac chàritatis perfectio requiritur.*

Ibidem. In V. Testam. *licitum erat* facile jurare in votis & promissionibus, vindictam adversus proximum expetere, extraneos & hostes populi odisse, &c. in Novo Test. ista *non licent.*

Ab ARMINIO, *Disput. de Legis & Evang. comp. thes. 6.* Tertia differentia Legis & Evangelij consistit *in materiâ mandatorum. Mandata* enim *Legis* pleraque *carnalia* fuerunt. *Evangelium* vero est spirituale, *mandata* continens *spiritualia.*

A SIM. EPISCOPIO, *Disp. de conven. & discr. V. & N. T. thes. 20.* Secunda pacti veteris & novi differentia consistit *in speciali præceptorum materiâ.*

ARTICVLVS XXVI.

De intercessione CHRISTI.

CRedimus nos nullum ad DEVM accessum habere, nisi tantùm per unicum Mediatorem atque advocatum IESVM CHRISTVM justum, qui hanc ob caussam homo factus est, & cum divinâ naturâ personaliter unitus, ut nos homines per ipsum ad divinam Majestatem accessum haberemus: alioquin nobis hic aditus erat præclusus, [haud secus uti spinæ ad ignem accedere non possunt. Nos sola ipsius voce absorpti fuissemus, sicuti in Adamo apparet, qui tremebundus à Domino profugiebat: atque in Israëlitis ad montem Sinai, qui mediatorem postulabant, ex metu ne propter vocem Domini morerentur.] Hic Mediator, quem Pater inter ipsum & nos ordinavit, non debet nos propter majestatem suam deterrere, ut alium mediatorem, prout nobis visum fuerit,

rit, quæramus: nemo enim eſt ex omnibus creaturis in cœlo aut in terris, quæ nos impenſius amet, quam IESVS Chriſtus, qui *tametſi eſſet in forma DEI, ſeipſum tamen exinanivit, forma ſervi accepta, ſimilis factus hominibus, ac fratribus ſuis per omnia.* [*Ipſe qui dives erat, noſtra cauſſa pauper factus eſt.*] At verò ſi alius nobis Mediator eſſet quærendus, qui benè erga nos eſſet affectus, quem invenire poſſemus, qui nos magis diligat, quam qui vitam ſuam pro nobis poſuit, etiam tunc quum eſſemus ipſius inimici? Sin autem nobis quærendus aliquis eſt, qui potentiâ atque autoritate valeat, quis eſt qui tanta polleat, quanta is qui *ad dextram DEI Patris ſui conſedit,* atque *omnem autoritatem habet in cœlo & in terra?* Quis eſt qui facilius exaudietur, quam proprius & unicè dilectus filius? Sola itaque diffidentia hanc conſuetudinem invexit, quod Sancti ignominia afficiantur, dum illos honorare volunt, ejuſmodi illis exhibentes honorem, quem illi ipſi nunquam deſiderarunt, ſed ſemper conſtantiſsimè, prout officium etiam eorum exigebat, reſpuerunt, uti ex ſcriptis eorum patet. Neque hic profe-

rendum illud eſt, quod nos non ſimus digni: hic enim non quæritur de precibus noſtris propter dignitatem noſtram DEO offerendis, ſed tantùm propter excellentiam & dignitatem IESV Chriſti, cuius juſtitia eſt noſtra per fidem. Quapropter Apoſtolus hunc ſtultum metum, ſeu potius diffidentiam nobis eximere volens, meritò nobis dicit, IESVM *Chriſtum fratribus ſuis per omnia ſimilem eſſe factum, ut miſericors eſſet & fidelis Pontifex in ijs quæ apud* DEVM *agenda forent, ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quod perpeſſus fuit, cum tentatus eſt, poteſt & ijs, qui tentantur, ſuccurrere.* Et paulò poſt, ut in nobis tanto maiorem [ad ipſum accedendi] fiduciam accendat, addit: *Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cælos,* IESVM *Filium* DEI, *teneamus hanc profeſſionem: non enim habemus Pontificem, qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter abſque peccato. Accedamus igitur cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* [Commutat hic tremendum gloriæ thronum in thronum gratiæ, ut nos faciat ad ipſum

ipſum accedere.] Idem Apoſtolus docet, nos *habere libertatem ingrediendi ſacrarium per ſanguinem* IESV. *Accedamus itaque*, ait, *cum certa perſuaſione fidei, &c.* Item, *Chriſtus habet perpetuum ſacerdotium: Vnde & ſervare prorſus poteſt eos qui per ipſum accedunt ad* DEVM, *ſemper vivens ut interpellet pro iis.* Quid amplius deſiderari poterit, cum Chriſtus ipſe palam teſtetur, *Ego ſum via, veritas, & vita: Nemo poteſt ad Patrem venire, niſi per me?* Quem in finem quæremus alium advocatum, [cum per ipſum ſolum acceſſum habeamus ad Patrem?] Cumq; DEO placuerit nobis Filium ſuum dare, ut eſſet advocatus noſter, ne illum relinquamus, ut nobis alium ſumamus, vel potius ut alium quæramus, & nũquam inveniamus. Quum enim DEVS eum nobis donaret, probè ſciebat nos eſſe peccatores. Quare præceptum Chriſti ſequentes, Patrem cœleſtem invocamus per Chriſtum unicum Mediatorem noſtrum, quemadmodum ipſe nos docuit in Oratione Dominica, certò perſuaſi, quidquid Patrem petierimus in ipſius nomine, nos eſſe idipſum impetraturos.

ARTI-

ARTICVLVS XXVII.

De Ecclesiâ Catholicâ.

CRedimus & confitemur unicam Ecclesiam Catholicam, ſeu Vniverſalẽ, quæ eſt ſancta congregatio ſeu cœtus omnium fidelium Chriſtianorum, qui totam ſuam ſalutem ab uno IESV CHRISTO expectant, abluti ipſius ſanguine, & per Spiritum ejus ſanctificati atque obſignati. 1. Hæc porrò Eccleſia ab initio mundi fuit, & uſque ad finem ejus eſt perduratura: quemadmodũ hoc vel ex eo apparet, quod Chriſtus Rex æternus eſt, qui nunquam ſine ſubditis eſſe poteſt. 2. Cæterùm hanc Sanctam Eccleſiam DEVS contra omnem mundi furorem & impetum tuetur: quamvis ad aliquod tempus parva admodum, & quaſi extincta in conſpectu hominum appareat: quemadmodum tempore illo periculoſiſſimo Achabi, DEVS ſibi ſeptem millia virorum reſervaſſe dicitur, qui non flexerant genua coram Baal. Denique hæc Eccleſia ſancta nullo eſt aut certo loco ſita & circumſcripta, aut ullis certis perſonis

ſonis aſtricta aut alligata: ſed per omnem orbem terrarum ſparſa atque diffuſa eſt, quamvis animo ac voluntate in uno eodemque ſpiritu, virtute fidei, tota ſit ſimul conjuncta atque unita.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Ad Eccleſiam Catholicam etiam pertinere multos, qui nullam cognitionem de Chriſto habent, & qui proinde ſalutem ſuam ab uno* IESV *Chriſto non expectant.*

A VENATORE, *Declar. pag. 168.* Credo Eccleſiam eſſe cœtum evocatum ad audiendum ea quæ divina & ſpiritualia ſunt, & quæ ad ſalutem pertinent: ſeu eſſe ſocietatem, & multitudinem, evocatam & congregatam ad intelligendam & exercendam unam aliquam religionem.

Ibidem. pag. 183. Salus non alligatur *cognitioni hiſtoriæ de Chriſti paſſione & morte.*

Ibidem. pag. 184. Multi probi *Ethnici* illuſtria *habuerunt teſtimonia* internæ & ſpiritualis *veri cultus divini.*

Contra Paſt. Dord. pag. 130. Nego abſolutè & ſine exceptione eſſe neceſſarium, ut omnes illi qui ſalutis per Chriſtum participes futuri ſunt, *intelligere debeant*, quæcunque de ipſo Evangeliſtæ & Apoſtoli prædicarunt & ſcripſerunt.

Ibidem. pag. 134. Cur igitur me oporteret tam eſſe ſeverum, ut miſeros *Ethnicos*, quibus hæ manifeſtationes & tam claræ doctrinæ, quas Apoſtoli habuerunt, *ne in minimò quidem* factæ ſunt, & quibus *ne verbum quidem de Chriſto* manifeſtatum eſt, & tamen *vitam piam* duxerunt, (hoc enim eſt quod ſimul intelligi ſemper volo) condemnarem, & crederem DEVM cum ijſdem ſecundum rigorem acturum, atq; ipſis

ita immisericordem futurum. Cur sentire deberem, DEUM esse ab aliquo plus postulaturum, quam quod ipsi dedit? Cui parum datum est, an ab ipso plus quam illud parum exigetur? Nequeo concipere quænam ibi foret justitiæ proportio.

Ibidem. pag. 135. Posse homines sine plenâ fide historiæ de Christo servari, *etiam postquam fides Christiana ei revelata est*, intelligi facile potest, si examen instituamus quantam cognitionem adulti singuli inter Christianos habeant.

Ibidem. pag. 137. Dico *Ethnicos talem habuisse fidem, qualis postulatur*, scilicet, DEUM esse, & præmia largiri ijs qui ipsum diligunt. Imò *purum & sincerum divinum cultum animarum docuerunt.* Quinimò excepto eo quod historiam de Christo ignorarunt, DEUS illustria *testimonia veritatis*, *accepti cultus divini, atque etiam veræ dilectionis* DEI *& proximi*, inter ipsos, saltem inter multos, distribuit.

Ibidem. pag. 138. Nego hanc propositionem, *Nemo potest, salvus fieri, qui Christo per veram fidem non est insitus.*

Ibidem. pag. 141. Credo multos fide de historiâ Christi præditos Christum nunquam induisse, & contrà *multos Christum induisse, atque in se habuisse, qui ejusmodi plenam de historia Christi cognitionem non habuerunt.*

Ibidem. pag. 145. DEUS *Ethnicis* poterit respondere, etsi permitto ut ad lucem Lunæ, aut stellarum ambuletis, *tantum tamen lucis habetis, ut viam vestram ambulare possitis.*

Ibidem. pag. 147. Quamvis simplex *carentia historiæ de Christo non necessariò condemnet*, tamen Religio Christiana admodum *utilis est*, & quando DEUS eam manifestari & credi vult, planè necessaria.

Ibidem. pag. 148. Quamvis Ethnici infernali igne non punirentur, tamen Christiani *majorem gloriam in regno cœlorum* possent habere, *quam ipsi*; cum Theologi ferè omnes doceant ibi diversos fore gloriæ gradus.

II. *Totam atque universam Ecclesiam in terris deficere posse: neque necesse esse ut Christus Rex & caput Ecclesiæ semper*

ſemper Eccleſiam aliquam veram in terris habeat.

Ab EPISCOPIO, *Diſput.priv.de Eccl.theſ,10.* Addimus, quod tamen ex eo [ſcilicet Eccleſiam quamlibet deficere poſſe] neceſſariò ſequitur, *totam & univerſam Eccleſiam in terris deficere poſſe.*

Ibidem.theſ.11. Neque verò neceſſe eſſe credimus adhoc, *ut Chriſtus Rex & caput maneat, in terris Eccleſiam aliquam veram ſemper eſſe.*

ARTICULUS XXVIII.

De communione Sanctorum cum verâ Eccleſiâ.

CRedimus quòd cum ſanctus hic cœtus & congregatio ſit eorum qui ſervari debent: & ſalus nulla ſit extra eam; neminem cujuſcunque dignitatis aut nominis is fuerit, ſeſe ab eâ ſubducere aut ſegregare debere, ut ſua tantum conſuetudine contentus, ſolus ac ſeparatim vivat. Sed omnes ac ſingulos teneri huic cœtui ſe adjungere atque uniri, Eccleſiæ unitatem ſollicitè conſervare, ſeſeq; illius tum doctrinæ, tum diſciplinæ ſubjicere, collum denique Chriſti jugo ſponte ſubjicere, ac tanquam communia ejuſdem corporis membra

ædificationi fratrum inſervire, prout DEVS unicuiq; ſua dona fuerit largitus. Porrò ut hæc melius obſerventur, omnium fidelium partes ſunt, ſeſe juxta DEI verbum ab ijs omnibus diſiungere, qui ſunt extra Eccleſiam conſtituti, huicque fidelium cœtui ac congregationi ſe adjungere, ubicunque illam DEVS conſtituerit: etſi id contraria Principum vel Magiſtratuum edicta prohibeant, indicta etiam in eos capitis & mortis corporeæ pœna, qui id fecerint. Quicunque igitur à vera illa Eccleſia recedunt, aut ſe illi aggregare recuſant, apertè DEI mandato repugnant.

ARTICVLVS XXIX.

De Notis veræ Eccleſiæ.

CRedimus ſumma tum diligentia, tum prudentia, ex verbo DEI eſſe inquirendum ac diſcernendum, quænam ſit illa vera Eccleſia: quandoquidem omnes ſectæ, quotquot hodie in mundo vigent, Eccleſiæ titulum noménque uſurpant atque prætexunt.

xunt. Nequaquam verò de hypocritarum cœtu nunc loquimur, qui bonis in Ecclesiâ sunt permisti, [& simul hoc Ecclesiæ titulo sunt tecti,] sed ad Ecclesiam propriè non pertineant, licet in eâ corpore præsentes sint: sed de distinguendâ veræ Ecclesiæ congregatione ab omnibus alijs sectis, quæ se Ecclesiæ membra esse falsò gloriantur. Notæ quibus vera Ecclesia à falsâ discernitur, hæ sunt: 1. Si Ecclesia utatur purâ Evangelij prædicatione, & sincerâ Sacramentorum administratione, secundum Christi institutionem: si Disciplina Ecclesiastica rectè utatur ad corrigenda vitia: 2. si denique (ut uno verbo cuncta complectamur) ad normam verbi DEI omnia exigat, & quæcunq; huic adversantur, repudiet: Christumq; unicum caput agnoscat. Hisce notis certum est veram Ecclesiam dignosci posse, à qua fas non sit quemquam disiungi. Quæ autem sint veræ hujus Ecclesiæ vera membra ex communibus Christianorum omnium notis poterit judicari, qualis est Fides; atque hinc cognoscuntur, quod Christum unicum Servatorem fide apprehendant, peccatum fugiant &

juſtitiam conſectentur: verum etiam DEVM & proximum diligant, neque ad dextram neque ad ſiniſtram deflectentes, carnémque ſuam cũ ipſius operibus crucifigentes: quod quidem ita minime eſt intelligendum, quaſi nulla amplius in illis ſit infirmitas, ſed quod adverſus eam per omne vitæ tempus virtute Spiritus pugnent, confugientes ſemper ad ſanguinem, mortem, paſſionem, & obedientiam Domini noſtri IESV Chriſti, in quo ſolo remiſſionem peccatorum ſuorum habent, per fidem in ipſum. Quod ad falſam vero attinet Eccleſiam, illa ſibi ſuíſque inſtitutis & traditionibus plus ſemper autoritatis attribuit, quam verbo DEI: illa Chriſti jugo ſe ſubjici recuſat; illa Sacramenta non adminiſtrat prout Chriſtus in verbo ſuo præſcripſit: ſed illis pro arbitrio modo addit aliquid, modo detrahit. Præterea hominibus illa ſemper plus quàm Chriſto nititur, eóſque qui ſanctè ex præſcripto verbi DEI vitam ſuam componere ſtudent, quíque vitia illius, atque imprimis avaritiam & idolomanias taxant, ac reprehendunt, hoſtiliter perſequuntur. Ex his igitur facile eſt utram-

que

que Ecclesiam agnoscere atque à se invicem discernere.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Nullas notas dari posse, aut ut dentur opus esse, per quas in cognitionem veræ Ecclesiæ perveniatur.*

Ab EPISCOPIO, *Disput. priv. de Notis Eccl. Thes. 2.* Cum nota omnis semper notior esse debeat eâ re, cujus nota est, & ad quam tanquam obscuram & ignotam notificandam adhibetur: ei verò, qui, quæ doctrina salutaris sit, rectè intelligit, nihil omninò desit, quo Ecclesia cognosci queat. relinquitur etiam *nullas notas dari posse, aut ut dantur opus esse, per quas in cognitionem Ecclesiæ veniatur.*

Ibidem. Thes. 5. Ullas esse circumstantias per quas *tanquam notas* in veræ Ecclesiæ certam & infallibilem cognitionem deveniatur, *impossibile esse statuimus.*

Ibidem. Thes. 6. Imò quod magis est *hanc ipsam de certis & infallibilibus Notis*, extra hanc Doctrinæ salutaris professionem, *assignandis quæstionem*, præcipuum gradum fuisse credimus, per quem & veræ Ecclesiæ, sive salutaris doctrinæ solida cognitio deturbata, & Antichristi solium evectum atque exaltatum, quinimò pura veritatis ignorantia introducta est, adserere non dubitamus.

II. *Notas veræ Ecclesiæ non esse puram prædicationem Verbi divini, sinceram Sacramentorum administrationem, & Disciplinæ Ecclesiasticæ legitimum usum, sed si nota aliqua est statuenda, eam esse unam, scilicet salutaris doctrinæ professionem, ad quam pura verbi divini prædicatio non pertineat.*

Ab EPISCOPIO, *Disput. priv. de Not. Eccl. Thes. 8.* Quod si quæ tamen Ecclesiæ nota statuenda est, ea alia esse non potest, quam *una salutaris doctrinæ professio.*

Ibidem

Ibidem.Thes.11. Ad hanc salutaris doctrinæ professionem] *non pertinet prædicatio verbi divini*, quippe quæ Pastoris actio potius quam Ecclesiæ est, & non tam necessaria, quam utilis est ad ædificationem illius, postquam Scriptura omnibus & singulis legenda data est, ut ex suopte marte discat quisque quantum satis est.

A VENATORE, *Declar.pag.170.* Qui DEUM & Christum confitetur, & ejus vocem audit, & de fidei dogmatibus paratus est confiteri & sentire quæ de ijs *rotundè Scriptura loquitur*, etsi nec possit nec velit recipere, quod ab his aut illis Concilijs, Synodis, Patribus, & Ecclesijs fortè sit decretum, ut utatur his aut illis verbis aut phrasibus, *in quocunque etiam fuerit fidei dogmate*, quæ plerumque per curiositatem hominum sunt inventæ, & caussæ acerborum schismatum, & horribilium persecutionum ac cædium inter Christianos fuerunt, sed qui dicit: Verba, quibus ipse Christus usus est, mihi sufficiunt, ego ea emendare non possum, atque etiam credo te non esse Præceptore tuo sapientiorem ad describendas res spirituales: quis talem virum non agnosceret pro membro Ecclesiæ? & *talem cœtum pro Ecclesiâ*?

Ibidem. Nullum est convenientius medium ad diminuendas sectas, atque ut omnes Christiani *in unam Ecclesiam*, in fraternâ unitate, colligi possint: quam ut singuli phrases in dogmatibus fidei vel à se inventas, aut ab alijs confictas, à se autem receptas, omittant, & ut unusquisque in sensu suo abundet, *explicationes*, descriptiones & sensus [verborum Scripturæ] *sibi servando.*

ARTI-

ARTICVLVS XXX.

De Regimine Ecclesiæ.

CRedimus veram hanc Ecclesiam debere regi ac gubernari spirituali illa politia, 1. quam nos DEVS ipso verbo suo edocuit: nimirum ut sint in ea Pastores ac Ministri, qui purè & concionentur & Sacramenta administrent 2. Sint quoque Seniores & Diaconi, qui Presbyterium, seu Ecclesię Senatum constituant 3. ut his veluti medijs vera Religio conservari, veráque doctrina passim propagari & retineri possit: hominésque vitijs dediti spiritualiter corripi & emendari, ac veluti fræno quodam Disciplinæ cohiberi: pauperes item & afflicti auxilio & consolatione pro cujusque necessitate sublevari possint. Tunc enim omnia ritè & ordine fient in Ecclesiâ, cum viri fideles ac pij ad ejus gubernationem deligentur, juxta D. Pauli præscriptum, quod habetur. 1. Tim. 3 & Tit. 1.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Regimen Ecclesiæ non pertinere ad Pastores, Seniores, & Diaconos, sed ad Magistratum, si Christianus est.*

A IOAN. WTENBOGARDO, *De Offic. Christ. Magistr. in Eccl. pag. 84.* Oportet itaque Christianum Magistratum necessariò agnoscere pro Magistratu sub Christo, etiam in Ecclesiâ, & in rebus ad Ecclesiam spectantibus, *ad eam regendam ac gubernandam* secundum verbum ejus.

A CASP. BARLÆO, *Dissert. pag. 14.* Tantum abest ut Principibus summa in Ecclesiæ negotijs iuris dicundi potestas denegari meritò debeat, ut plerique veterum, tum in DEI populo ante Mosis & Aaronis tempora, tum etiam apud gentiles *duo hæc munera conjuncta habuerint, Sacerdotium* inquam *& Regnum.* In Melchisedeco res plana est, & quæ regni cujusdam habebant speciem, in Patriarcharum familijs. Inter Ethnicos Diotogenes Pythagoricus tria in legitimo *Rege* requirit, ut belli dux sit, ut judex, ut *sacerdos.* Augustus *pontificatum* maximum *imperio* adjunxit, eumque secuti Principes idem fecere.

A SIM. EPISCOPIO, *Disput. de jure Magistr. Thes. 11.* Magistratus non simpliciter opus habet consilio ipsorum, quibus sacrorum administratio demandata est, in conficiendis decretis suis, aut in ijs roborandis & stabiliendis autoritate, cum sufficienter à Scripturâ consilijs instructus, & plenariâ potestate, *quà omnia solus, quando vult, exequi potest,* desuper à DEO donatus sit.

II. *Administrationem Sacramentorum non pertinere ad solos Pastores, sed licere etiam cuilibet privato ea administrare.*

Ab EPISCOP. *in Disput. publ. 14. Iul. 1618.* Hæc est mea sententia, licere etiam cuilibet privato Christiano administrare Cœnam Dominicam.

III. *Eccle-*

III. *Ecclesiam non debere regi per tales Presbyteros, seu Seniores, quales hodie sunt in Reformatis Ecclesijs Belgicis, qui in verbo non laborant.*

Ab HVG. GROTIO, *Pictat. Ord. Holl. pag. 88. Presbyteri* autem isti (ne quis *antiquitatis magis quam moris nostri gnarus* in eâ voce hallucinetur) non sunt *qui verbum* DEI *prædicant, aut Sacramenta exhibent*, sed pauci numero delecti ex populo, Pastorum συνέδροι, qui unâ cum Pastoribus Ecclesiam regunt. *Ibidem. pag. 112.* Pastores ac Presbyteri ipsi debebunt saltem συνέδρους illos suos, quos Presbyteros vocant, *utpote suum* ἕυρημα, eligere.

ARTICVLVS XXXI.

De vocatione Ministrorum Ecclesiæ.

CRedimus Ministros, Seniores, & Diaconos debere ad functiones illas suas vocari & promoveri legitimâ Ecclesiæ vocatione I. adhibita ad eam seriâ DEI invocatione, [atque adhibitis Ecclesiæ suffragijs, ac postea confirmari in muneribus suis per impositionem manuũ] eo ordine & modo, qui nobis in verbo DEI præscribitur. Debent autem imprimis singuli cavere ne illi-

citis medijs ſeſe ad hæc munia ingerant. Expectandum eſt enim omnibus, donec à DEO ipſo vocentur, ut certum habeant vocationis ſuæ teſtimonium, ſciantque eam eſſe à Domino. Cæterùm omnes verbi DEI Miniſtri, ubicunque ſint locorum, eandem habent omnes atque æqualem tum poteſtatem, tum auctoritatem, ut qui ſint æque omnes Chriſti unici illius Epiſcopi univerſalis & capitis Eccleſiæ Miniſtri. [Ac proinde nulla Eccleſia habet autoritatem ullam, ſive dominium in alteram, ut illi dominetur.] Porrò ne ſancta hæc DEI ordinatio, aut violetur aut abeat in contemptum, debent omnes de verbi Miniſtris & Senioribus Eccleſiæ, propter opus cui incumbunt, honorifice ſentire, atque cum ijs pacem colere: & à rixis ac contentionibus, quantum fieri poteſt, invicem abſtinere.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Miniſtros verbi* DEI, *Seniores, & Diaconos non debere eligi ab Eccleſiâ, ſed à Magiſtratu.*

A IOAN. WTENBOGARDO, *De Offic. Chriſt. Mag. in Eccl. pag. 92.* Officium Magiſtratus in regimine Eccleſiæ ſpecia-

ſpeciatim ſe extendere *ad vocationem atque inſtitutionem Miniſtrorum Verbi, & reliquorum miniſteriorum Eccleſiaſticorum*, probatur ex exemplis Moſis, qui quâ Magiſtratus, Aaronem & filium ejus Eleazarum conſtituit ſacerdotes: & Salomonis, qui Abjatharum removit à ſacerdotio, & Sadokum in ejus locum ſubſtituit.

Ibidem. pag. 94. Quod in Novo Teſtamento poſt Apoſtolos, Evangeliſtas, & Prophetas, poſtea Paſtores & Doctores vocati & conſtituti fuerunt *per ſuffragia Eccleſiæ Chriſtianæ, & impoſitionem manuum Presbyterij*, ita ut Magiſtratus eo tempore in hoc negotio nullæ fuerint partes, *factum fuit quoniam Eccleſiæ tunc ſub cruce erant*, & à Magiſtratu non tantum protegebantur, ſed etiam perſecutionibus gravabantur: inde ſequi Magiſtratum, Chriſtum ejuſque veritatem jam amplectentem, in vocatione Miniſtrorum nullas habere partes, verè & ſine magnis abſurditatibus dici non poteſt.

II. *Miniſtros Verbi* DEI *non debere eſſe æqualis poteſtatis atque autoritatis.*

AB HVG. GROTIO, *Pietat. Ord. Holl. pag. 118.* Infirmitatem hanc Puritani putant eſſe magnam, quod Eccleſiæ regantur per Epiſcopos. Quid *boni multi in noſtræ Eccleſiæ regimine deſiderent*, quibus modis putent *vitia ad ἀναρχίαν accedentia* commodiſsimè poſſe ſanari, diſſerere hic non inſtitui. Neque tamen me contineo, quin fontem & originem tum *hujus*, tum aliarum πλημμελειῶν indicem. Exiſtimamus tanto nos puriores fore, quanto longius ab omnibus *Eccleſiæ Romanæ inſtitutis* receſſerimus: nullo diſcrimine: neque volumus animadvertere inter multos illius corporis morbos aliquas tamen manſiſſe *Sanioris ævi reliquias. Exceſsit medicina modum.*

Ibidem. pag. 120. In Synodo Emdanâ multa Miniſtri de regendis Eccleſijs decrevere. Primum caput eſt, *Ne Eccleſia una in alteram dominatum exerceát, imò ut omnes à ſuſpicione quavis & occaſione dominatus ſibi caveant.* Quanquam

autem *Epiſcopalis eminentia dominatus non eſt*, his tamen vocibus eam indicari ſatis manifeſtum eſt. *Item.* Imò verò quot fuere Synodi, toties illis ipſis Emdanæ Synodi verbis ſtabilita eſt *ἰσοτιμία*.

ARTICVLVS XXXII.

De Poteſtate Eccleſiæ in condendis Legibus Eccleſiaſticis, & in adminiſtrandâ Diſciplinâ.

INterim credimus quamvis utile quidem ſit, ut Gubernatores, qui Eccleſijs præſunt, aliquem inter ſe ordinem conſtituant, ad conſervationem corporis Eccleſiæ, I. tamen ſtudioſè cavere eos debere, ne quo pacto ab ijs deflectant, declinentve, quæ Chriſtus ipſe, unicus Magiſter noſter ſemel conſtituit. Quapropter rejicimus omnia humana inventa, omnéſque leges, quæ ad DEI cultum ſunt introductæ, ut ijs conſcientiæ ullo modo illaqueentur, aut obſtringantur. Recipimus itaque eas ſolas, quæ idoneæ ſunt vel ad fovendam, alendámque concordiam, vel ad nos in DEI obedientiâ retinendos.

dos. Ad id verò imprimis necessaria est Excommunicatio, ex præcepto verbi DEI usurpata: & aliæ illi annexæ disciplinæ Ecclesiasticæ appendices.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Non ad Gubernatorum, qui Ecclesijs præsunt, sed ad Magistratus munus pertinere, ordinem constituere ad conservationem corporis Ecclesiæ:*

A IOAN. WTENBOGARDO; *De Offic. Mag. in Eccl. pag. 68.* Officium Magistratus in regimine Ecclesiæ speciatim se etiam extendit *ad condendum leges & Constitutiones Ecclesiasticas.*

Ibidem. pag. 99. Potestatem leges Ecclesiasticas condendi, figendi, & refigendi *ad Magistratum pertinere* docent exempla piorum Regum, Davidis, Solomonis, Ezechiæ, Iosiæ, & aliorum.

Ab ARMINIO, *Artic. perpend. pag. 38.* Penes Magistratum est, leges de politiâ Ecclesiasticâ condere.

ARTICVLVS XXXIII.

De Sacramentis.

CRedimus DEUM habitâ nostræ habitudinis atque infirmitatis ratione, Sacramenta nobis instituisse, ut promissa sua in nobis obsignaret, & ut essent Divinæ erga

nos

nos benevolentiæ, gratiæ, donorúmque ejus certiſſima nobis pignora, ad fidem noſtram fovendam, & ſuſtentandam comparata 1. Addidit verò illa ad verbum Evangelij, ut tam ea ipſa quæ nobis externè verbo ſuo declarat, tum ea etiam quæ ille ipſe in cordibus noſtris internè operatur, efficacius ſenſibus noſtris proponeret: ac denique ut ſalutem, quam nobis communicare dignatur, magis magiſque in nobis confirmaret. Sunt enim Sacramenta ſigna, ac ſymbola viſibilia rerum internarum & inviſibilium, per quæ, ceu per media, DEVS ipſe virtute Spiritus Sancti in nobis operatur. Itaque ſigna illa minime vana ſunt, aut vacua: nec ad nos decipiendos aut fruſtrandos inſtituta. Ipſorum enim veritas eſt ipſe IESVS CHRISTVS, ſine quo nullius prorſus eſſent momenti. Præterea ſufficit nobis is Sacramentorum numerus, quem Chriſtus ipſe verus & unicus Doctor noſter inſtituit. Sunt vero illa duo duntaxat, nimirum Sacramentum Baptiſmi, & ſacræ Cœnæ Domini noſtri Ieſu Chriſti 2.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Proximum & maximè proprium Sacramentorum finem non esse obsignationem gratiæ* DEI, *& confirmationem fidei nostræ, sed solemnem tantùm Christi commemorationem.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. D. 5.* *Error* est Evangelicorum, cum tribuunt cœnæ Dominicæ *quod fidem nostram confirmet*, quodque in memoriam nobis redigat mortem Christi pro nobis.

Ibidem. Sacra hæc ceremonia in eum finem à Christo est instituta, *ut solemnis ipsius commemoratio fiat*; quatenus, videlicet corpus suum pro nobis tradidit, & sanguinem suum pro nobis fudit.

Ibidem. fol. D. 6. Nusquam apud sacros scriptores indicium ullum extat, quod *ad fidem in nobis confirmandam* hic sacer ritus institutus fuerit.

Ab ARMINIO, *Artic. perpend. pag. 38.* Perpendendum, an proximus & maximè proprius ideoque immediatus finis Cœnæ Dominicæ, tum quâ institutus, tum quâ usurpatus, non sit memoria seu *commemoratio vel annunciatio mortis Domini*, & quidem cum gratiarum actione, pro eo quod DEVS Filium suum pro nobis in mortem dedit.

A VENATORE, *Theol. veræ & meræ, pag. 16.* Cœna Domini est exercitium *ad significandam communionem Sanctorum*, hoc est, *ad commemorationem dilectionis Iesu* erga omnes fideles, atque ad præstationem officij debiti & charitatis mutuæ.

II. *Tria esse Sacramenta Novi Testamenti, Baptismum, Cœnam Dominicam, & Lotionem pedum.*

A VENATORE, *Theol. veræ & meræ, pag. 13.* Quæst. An non Iesus Discipulis suis etiam instituit ac mandavit externum aliquod & visibile Sacramentum humilitatis,

& mutuorum officiorum? Resp. *Lotionem pedum*:uti nobis prolixè hoc describit Ioannes,cap.13.à vers.1.ad 18.

ARTICVLVS XXXIV.

De Baptismo.

CRedimus & confitemur IESVM CHRISTVM (*qui finis legis est*) omni alij sanguinis effusioni ad propitiationem peccatorum adhibendæ finem proprio suo sanguine effuso jam imposuisse:& abolitâ Circumcisione, quæ fiebat per sanguinem, Baptismum illius loco instituisse, 1. quo in Ecclesiam DEI recipimur, & à cunctis alijs gentibus & peregrinis alijs religionibus segregamur, utpote illi soli consecrati, cujus symbolum & insignia gestamus. Est denique Baptismus nobis testimonio, illum ipsum nobis fore DEVM in æternum, qui & Pater nobis est propitius 2. Omnes igitur, qui sui sunt, jussit Dominus aquâ purâ Baptizari in nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti: ut significaret sanguinem Christi per Spiritum Sanctum idem præstare & efficere internè in anima, quod aqua externè operatur in corpo-

corporibus. Sicuti enim aqua in nos effusa, & super corpus baptizati eminens ipsumque irrigans, sordes corporis abluit: sic & sanguis Christi animam abluens, à peccatis illum emundat, nósque filios iræ in filios DEI regenerat. Non quod aqua hæc materialis ista efficiat, sed aspersio ipsa pretiosissimi sanguinis Filij DEI, qui nobis est ceu mare illud rubrum, per quod transeundum est, ut è tyrannide Pharaonis, id est, Diaboli, egredi, & in spiritualem terram Chanaan introire possimus. Itaque Ministri quidem præbent nobis Sacramentum, & rem visibilem: at Dominus ipse exhibet quod Sacramento significatur, nimirum dona & gratias invisibiles, abluens, purificans, & mundans animas nostras à cunctis sordibus & iniquitatibus suis: renovans item, & replens corda nostra omni consolatione: largiens denique nobis veram paternæ suæ bonitatis certitudinem, 3. novo homine nos induens, & vetere exuens cum omnibus operibus ejus. Præterea credimus omnem hominem, qui vitam æternam consequi cupiat, debere semel Baptizari, [atque unico

hoc Baptiſmo contentũ eſſe.] qui nunquam poſtea ſit iterandus, cum ne naſci quidẽ bis poſſimus. Neque tamen hic Baptiſmus eo duntaxat momento prodeſt, quo aqua nobis inhæret, aut quo eâ tingimur: ſed per totum vitæ noſtræ tempus: [alioquin neceſſe foret nos caput noſtrum ſemper aquâ tinctum habere.] Anabaptiſtarum itaque errorem hic deteſtamur, qui non modò unico & ſemel ſuſcepto Baptiſmo contenti non ſunt: ſed & Baptiſmum infantium è fidelibus parentibus natorum damnant 4. Nos vero eos eadem ratione baptizandos, & ſigno fœderis obſignandos eſſe credimus, quâ olim in Iſraële parvuli circumcidebantur, nimirum propter eaſdem promiſſiones infantibus noſtris factas. Et revera Chriſtus non minus ſanguinem ſuum effudit, ut fidelium infantes, quam ut adultos ablueret. Ideoq; ſignum ſeu Sacramentum rei, quam Chriſtus eorum cauſſa eſt operatus, illos recipere convenit: quemadmodum in Lege iubet Dominus Sacramentum mortis & paſſionis Chriſti communicari pueris recens natis, offerendo pro ipſis agnum, qui Sacra-

mentum

mentum erat Christi venturi. Præterea quod Circumcisio præstabat populo Iudaico, idem infantibus fidelium nunc præstat Baptismus. Atque hæc caussa est, cur Paulus Baptismum vocet *Circumcisionem Christi.*

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Baptismum fuisse tantum ritum temporarium, ex nullo præcepto Iesu Christi ab Apostolis usurpatum.*

A SIM. EPISCOPIO, *Disput. privat. de Baptismo. coroll. 1. Negamus nulla solida ratione demonstrari posse,* Baptismum ceremoniam & ritum fuisse tantum temporarium, ex nullo præcepto Iesu Christi ab Apostolis tantum usurpatum atque exercitum.

II. *Baptismi finem non esse gratiæ Dei de remissione peccatorum per sanguinem Christi obsignationem, sed tantùm significationem: nec fidei nostræ de gratiâ Dei confirmationem, sed tantùm professionem.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. E. I. Error* Evangelicorum circa Baptismum est, quod affirmant *eo obsignari divinitus peccatorum remissionem,* id quod Cœnæ Domini quoque tribuunt, & quemadmodum per Cœnam Domini, sic per Baptismum adultorum qui baptizantur, *fidem confirmari* credunt, cum tamen per Baptismum *non quidem obsignetur,* sed tantùm adumbretur peccatorum remissio.

Ibidem. De fidei confirmatione, quæ adultis ex Baptismo, quem suscipiunt, contingat, nihil attinet amplius dicere, quam *nec ullum indicium huius rei in divinis literis extare.*

Ab EPISCOPIO, *Desp. privat. de Bapt. thes. 8.* Finis Baptismi est *sola* tantùm divinæ gratiæ & professionis nostræ *significatio.*

III. *Neminem sine speciali revelatione in hac vitâ posse habere hanc de paternâ* DEI *bonitate certitudinem,* DEUM *sibi propitium Patrem fore in æternum, quoniam omnes verè fideles ex fide & gratiâ* DEI *totaliter & finaliter possint excidere.*

A REMONSTRANTIBUS, *Coll. Hag. pag. 340.* Non videmus doctrinam istam *de Perseverantiâ in fide* eorum, qui semel crediderunt, esse fundamentum consolationis filiorum DEI, sed existimamus suâ naturâ atque indole idoneam esse ad ingenerandam hominibus securitatem, ut in medio cursu peccatorum ipsis sit loco pulvinaris, quo semetipsos molliter fovere, suaviterque demulcere, atque ita consolari possint.

Ibidem. pag. 346. Dubitare utrumne semper ij futuri simus, qui nunc sumus, non est noxium, sed *laudabile* cumprimis atque *utile est.*

Ibidem. pag. 423. Necessariò sequitur, eum qui semel fidem adeptus est, posse eam amittere: ac propterea *nullum fidelem posse citra specialem revelationem certum esse*, se semper in fide perseveraturum.

Ibidem. pag. 297. 302. Doctrina de certâ verè fidelium perseverantiâ *ex se veræ pietati & bonis moribus noxia est,* tum in ijs qui eam docent, tum in ijs qui eam audiunt: & *fideles commonefactiones Spiritus Sancti* adversus periculosas technas & machinationes Diaboli *inutiles & inefficaces reddit.*

Ibidem. pag. 302. Crebra in Scripturis occurrunt exempla eorum, qui in fide non perstiterunt, sed *totaliter & finaliter ab ea defecerunt.*

A IAC. ARMINIO, *Artic. perpend. pag. 31.* Perpendendum, An verè fideles possint *excidere totaliter & finaliter,* *Item.* An reipsa nonnulli *totaliter & finaliter* à fide excidant. *Item.* Sententia, quæ negat *verè fideles & regenitos vel reipsa excidere à fide totaliter & finaliter*, nunquam fuit ab Ecclesiâ, ab ipsis Apostolorum temporibus ad hæc nostra se-

ſtra ſecula, pro Catholicâ habita, neque quæ contrarium affirmat, pro hæreticâ æſtimata: imò verò affirmans ſemper plures in Chriſtianiſmo adſtipulatores habuit, quam negans.

Ibidem. Perpendendum, An quis Fidelis *certus eſſe poſsit* ſe à fide non defecturum *citra ſpecialem revelationem.Item.* An Fideles credere teneantur, ſe à fide non defecturos. Affirmatio utriuſque quæſtionis nunquam pro Catholico dogmate habita fuit in Eccleſiâ Chriſti: nunquam etiam negatio utriuſque iſtius quæſtionis hæreſis judicata eſt ab Eccleſiâ Catholicâ.

Ibidem.pag.32. Perſuaſio quâ quis Fidelis ſibi *certò perſuadet ſe à fide deficere non poſſe, ſaltem ſe non defecturum à fide,* non tam ſolatio ſervit adverſus deſperationem ſeu dubitationem, Fidei & ſpei adverſam, quam *ſecuritati ingenerandæ*, quæ ſaluberrimo timori, quo ſalutem noſtram operari jubemur; & qui in hoc tentationum loco magnoperè eſt neceſſarius, directè adverſetur.

A NICOL. GREVINCHOVIO, *contra Ameſ.pag.138.* Senſum Electionis ad gloriam in hac vitâ nullum agnoſco, *qui ſit abſolutis certitudinis*, ſed tantum conditionatæ. *Item.* Qualis eſt *certitudo* perſeverantiæ noſtræ, *talis & Electionis*: utramque verò conditionatam eſſe qui negaverit, ipſum quoque Evangelium negabit.

A PETRO BERTIO, De Apoſtaſiâ Sanctorum, per totum librum. *Præfat.* Iudico *ſententias iſtas*, quibus docetur, 1. Solis illis gratiam à DEO dari, qui abſoluto & inconditionato decreto à DEO eſſent ad vitam electi, cæteris verò non dari. 2. Et dari illis per vim quandam irreſiſtibilem. 3. Ita ut ſemel accepta nunquam poſteà rejici aut excludi poſſit; *eſſe Sacris Scripturis, naturæ* DEI, *& bonis moribus inimicas.*

Ibidem. Enimverò ſi nulla eſt alia *Perſeverantia*, quam quæ *fictitio decreto inconditionatæ Electionis* nixa eſt, profiteor palam, & meo more, propoſitum mihi eſſe non tantum illam *oppugnare*, ſed etiam *evertere*, ut quæ *divino*

verbo

verbo adverſetur, & ſollicitudinem omnem, curamque ſalutis, mortalibus eripiat.

Ibidem. pag. 7. Controverſa iſta ſunt, 1. An qui credit poſſit fidem ſuam deſerere. 2. An quæ deſeritur, fuerit vera fides. Nos ad utramque quæſtionem *reſpondebimus affirmative.*

A SIM. EPISCOPIO. *Diſput.publ.de Pecc.act.corol.1.* Negamus aliquod peccatorum horum (inter quod etiam eſt *peccatum in Spiritum Sanctum*) dari, in quod *is qui verè ſemel credidit in Chriſtum Ieſum*, ſuapte culpâ inciderè nequeat.

Ibidem.corol. 2. Affirmamus eum, qui ſemel verè credidit eâ fide, quæ *juſtificans* à quibuſdam dici ſolet, ita peccare poſſe, ut *à fide illâ ſuâ*, & conſequenter à gratiâ & ſalute æternâ, *totaliter & finaliter excidat.*

IV. *Infantes fœderatorum non eſſe baptizandos, ſed tantum adultos, qui doceri, & fidem profiteri poſſunt.*

A WELSINGIO, *De Offic.hom.Chriſt.fol.D.8.Error* Evangelicorum eſt, cum ſtatuunt infantium baptiſmum *eſſe divinam ordinationem*, aut certè rem divinæ ordinationi conſentaneam.

Ibidem. Neque verò ullum baptizati infantis exemplum uſquam in S.literis extat. *Item. fol. B.1.* Nullum divinum præceptum infantes baptizandi, ſed ne exemplum quidem ullum alicujus baptizati infantis in ſacrâ hiſtoriâ extat,

A VENATORE, *Theol.meræ & veræ,pag.12.Quæſt.* An Ieſus ordinavit ut *prius doceantur* homines, & *poſtea baptizentur*? Reſp. Omninò.

ARTI-

ARTICVLVS XXXV.

De Cœnâ Domini.

CRedimus etiam & confitemur D. Jesum Christum Servatorem nostrum, sacrosanctum Cœnæ suæ Sacramentum instituisse, ut in ea nutriat, ac sustentet eos, quos jam regeneravit, & in familiam suam, nempe Ecclesiam insevit. Qui verò regenerati sunt, duplicem in se vitam habent: unam quidem carnalem & temporariam, quam secum à prima nativitate sua attulerunt, & hæc communis est omnibus hominibus: alteram spiritualem & cœlestem, quæ illis donatur in secunda illa nativitate, quæ fit per verbum Evangelij in unione corporis Christi, & hæc vita non est communis nisi solis Electis DEI I. Sicuti verò DEVS panem terrenum & materialem ad hujus vitæ carnalis & terrenæ sustentationem idoneum constituit, qui ut & ipsa vita, omnibus est communis; ita & ad conservationem illius vitæ spiritualis, & cœlestis, quæ fidelium

propria eſt, DEUS panem vivificum miſit, qui de cœlo deſcendit, nempe Ieſum Chriſtum: is nutrit & ſuſtentat vitam fidelium ſpiritualem, ſi comedatur, id eſt, applicetur & recipiatur ſpiritu per fidem. Ut autem panem hunc ſpiritualem & cœleſtem Chriſtus nobis figuraret, ſive repræſentaret; inſtituit Panem & Vinum terrenum & viſibilem in Corporis & ſanguinis ſui Sacramentum: ut ijs nobis teſtificetur, quam verè accipimus & tenemus manibus noſtris hoc Sacramentum, illúdque ore comedimus (unde & poſtmodum vita hæc noſtra ſuſtentatur) tam verè etiam nos fide (quæ animæ noſtræ eſt inſtar & manus & oris) recipere verum corpus & verum ſanguinem Chriſti, in animis noſtris, ad vitam ſpiritualem in nobis fovendam 2. Certiſſimum verò eſt, Chriſtum non ſine cauſsâ tam ſolicitè hoc ſuum Sacramentum nobis commendare, utpote qui perficiat in nobis revera, quæcunque ipſe nobis his ſacris ſignis repræſentat: quamvis modus ipſe ingenij noſtri captum ſuperet, nec percipi à quoquam poſſit: quod videlicet operatio Spiritus Sancti occulta

occulta ſit & in comprehenſibilis: [interim nequaquam erraverimus ſi dicamus fieri per fidem.] Dicimus itaq; id quod comeditur eſſe ipſiſſimum Chriſti corpus naturale, & id quod bibitur verum ipſius ſanguinem : at inſtrumentum ſeu medium quo hæc comedimus & bibimus non eſt os corporeum, ſed ſpiritus ipſe noſter, ídque per fidem. Chriſtus itaque ſemper ad dextram Patris in cœlis reſidet, nec ideò minus ſe nobis per fidem communicat. Porrò hæc Cœna menſa eſt ſpiritualis, in quâ Chriſtus ſeipſum nobis cum omnibus bonis ſuis participandum offert, efficitque ut nos in illâ, tam illo ipſo, quam merito paſſionis mortiſque ipſius fruamur. Animam enim noſtram miſeram & afflictam, omnique conſolatione deſtitutam, carnis ſuæ eſu ipſemet nutrit, roborat & conſolatur: ſanguinis item ſui potu eam ſuſtentat ac recreat. Præterea quamvis Sacramenta ſint conjuncta rei ipſi ſignificatæ, ambæ tamen res iſtæ non ab omnibus recipiuntur. Impius enim recipit quidem Sacramentum in ſuam condemnationem, at rem ſeu veritatem Sacramenti non recipit. Verbi

 gratiâ,

gratia, Iudas & Simon Magus receperunt quidem ambo Sacramentum: Chriſtum verò ipſum, qui illo ſignificabatur, minimè, quoniam ſolis ille fidelibus communicatur. Poſtremò huic nos Sacramento ſacroſancto in cœtu populi DEI cum ſumma humilitate & reverentia communicamus, memoriam mortis Chriſti Servatoris noſtri cum gratiarum actione ſanctè celebrantes, & fidei, Religioniſque Chriſtianæ confeſſionem publicè ibi profitentes. Nemo itaque ad hanc menſam ſe ſiſtere debet, qui prius ſe non probaverit, ne de hoc pane edens, & de hoc poculo bibens judicium ipſe ſibi & damnationem manducet, ac bibat. Vſu porrò hujus Sacramenti accenditur in nobis flagrantiſſimus amor tum in DEVM ipſum, tum in proximum. Itaque nos hic quidem merito omnes hominum ludificationes, & damnanda commenta (quæ illi Sacramentis addiderunt & admiſcuerunt) tanquam veram profanationem rejicimus: affirmamúſque omnes pios unico illo ordine, & ritu, quem Chriſtus & Apoſtoli nobis tradiderunt, contentos eſſe, atque de myſterijs eodem

eodem modo loqui debere, quo & illi locuti sunt.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Non omnes qui vitæ spiritualis per regenerationem participes sunt, esse Electos* DEI, *sed hanc vitam etiam communem esse multis Reprobis: quoniam verè regeniti à verâ fide & regeneratione totaliter & finaliter excidere possint, & multi etiam exciderint atque excidant; & Electus nemo sit, vel haberi possit, quamdiu ad finem usque vitæ in fide non perseveraverit.*

A REMONSTRANTIBVS, *Coll.Hag.pag.303.* In sacrâ scripturâ invenimus *diversa exempla* eorum, qui in fide non perseverarunt, sed *totaliter & finaliter ab eâdem exciderunt.*

Ibidem. pag. 304. Verè fideles, quia possunt eò prolabi ut opera carnis faciant, possunt etiam fidem amittere & quum opus carnis faciunt, *eandem amiserunt ad tempus*, si pòst se convertant, & *in perpetuum*, si se non convertant.

Ibidem. pag. 384. Non est ineptum dicere hominem *bis posse regenerari.*

A BERTIO, *De Apostasiâ Sanctorum, pag. 21. 22.* Scripturæ narrant, verè justos, fideles, & sanctos *à verâ justitiâ, fide, & sanctitate defecisse, & hoc factum* in Angelis, in primis nostris parentibus, in Saule, in Hymenæo & Phileto, in Dema, in Nicolao, atque etiam in ipso Salomone librorum Canonicorum autore, Templi dedicatore, & typo Christi.

A NICOL. GREVINCHOVIO, *contra Ames. pag. 136. Electio* ex fide prævisâ includit *perseverantiam in fide. Item.* Quoties *fidelee* statuimus *objectum Electionis*, toties nos fidem & *perseverantiam in fide* conjungimus. *Item.* Fideles

denominamus ab eâ fide, quæ totum fidei apotelesma, initium, progressum, *&* *finem* ambitu suo comprehendit.

Ibidem. In Scripturis dupliciter dicuntur *Electi. 1. incompletè*, secundum statum præsentem, quâ tales, puta fideles hoc tempore, excepto ultimo vitæ termino, in quo *2. Electio completur.*

Ibidem. pag. 137. Qui *justificationis participes* sunt nondum sunt idoneum *Electionis* peremptoriæ *objectum.*

Ibidem. Electio peremptoria in objecto prærequirit totam *consummatam* fidei obedientiam. *Item.* Electio peremptoria actu suo versatur circa fidelem *in fide morientem.*

Ibidem. pag. 138. Sensum *Electionis ad gloriam in* hac vitâ nullum agnosco, qui sit absolutæ certitudinis.

Ibidem. pag. 141. Multi reprobi *ejusdem cum electis, justificationis, sanctificationis, pacis conscientiæ* &c. ad tempus consortes fuerunt.

II. *Finem proximum & maximè proprium Cœnæ Dominicæ non esse obsignationem communicationis beneficiorum Christi, ad confirmationem fidei nostræ, sed professionem tantùm hujus communicationis, & commemorationem solemnem mortis Christi.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. D. 5.* Esus & potus in hac sacrâ ceremoniâ pertinet ad declarandum eos, qui ex illo pane comedunt, & ex vino illo bibunt, *palam & constanter & profiteri* animam suam in spem vitæ æternæ Christi corpore pro nobis fracto & sanguine fuso non minus ali & sustentari, quam pane & vino corpus ad caducam hanc vitam alatur & sustentetur. Vnde factum est ut Paulus Apostolus dixerit, *panem quem frangimus esse communicationem Christi corporis*, *& poculum, cui benedicimus, communicationem esse ejus sanguinis*, hoc est, *professionem hujus communicationis.*

Ibidem.. Error Evangelicorum est, cum tradunt finem Cœnæ Domini esse, *ut fidem nostram confirmet*, & ut in memoriam nobis redigat mortem Christi pro nobis.

Ibidem.

Ibidem.fol.D.6. Nuſquam apud ſacros ſcriptores indicium ullum extat, quod ad mortem Chriſti in nobis renovandam, *vel ad fidem in nobis confirmandam*, fuerit hic ſacer ritus inſtitutus.

Ibidem.fol.E.1. Cum Cœna domini celebratur, *non* quidem *obſignatur remiſſio peccatorum*, ſed illam olim per mortem Chriſti obſignatam fuiſſe *commemoratur ac prædicatur.*

Ab ARMINIO, *Artic.perpend.pag.38.* Perpendendum an *proximus & maximè proprius, ideóque immediatus finis Cœnæ Dominicæ*, tum quâ inſtitutus eſt, tum quâ uſurpatur, non ſit *memoria, ſeu commemoratio, vel annunciatio mortis Domini*, & quidem cum gratiarum actione pro eo quod DEUS Filium ſuum pro nobis in mortem dederit, ejuſque carnem edendam, & ſanguinem bibendum dedit per fidem in illum.

A SIM.EPISCOPIO, *Diſput.privat.de Cœna Domini,theſ.10.* Finis celebrationis Cœnæ eſt *ſola tantùm repræſentatio & ſignificatio* mortis, ac beneficij illius ingentis, quod per mortem nobis partum atque comparatum eſt, per quam fides etiam ipſa nobis excitari & confirmari ſolet, animuſque noſter veluti cibo atque potu quodam nutriri & educari ſpe vitæ æternæ.

A VENATORE, *Theol.vera & mera,pag.16.* Cœna Domini eſt ritus ad *ſignificandam & commemorandam dilectionem Ieſu* erga omnes fideles, & ad debitum dilectionis officium erga nos mutuò præſtandum.

ARTI-

ARTICVLVS XXXVI.

De Magiſtratu.

CRedimus DEVM Optimum Maximum ob generis humani corruptelam ac depravationem, Reges, Principes & Magiſtratus conſtituiſſe: velléque ut Mundus hic legibus ac certâ politiâ gubernetur, ad coercenda hominum vitia, & ut omnia inter homines recto ordine gerantur. Idcircò Magiſtratus ipſos gladio armavit, ut malos quidem plectant pœnis, probos verò tueantur 1. Horum porrò eſt non modò de civili politiâ conſervandâ eſſe ſollicitos, verum etiam dare operam ut ſacrum Miniſterium conſervetur, omnis idololatria & adulterinus DEI cultus è medio tollatur, Regnum Antichriſti diruatur, Chriſti verò Regnum propagetur. Denique horum eſt efficere, ut ſacrum Evangelij verbum ubique prædicetur, ut ſinguli purè DEVM colere & venerari ex præſcripto verbi ipſius liberè poſſint. Cæterùm cuncti homines, cujuſcunque ſint

ſint vel dignitatis, vel conditionis, ac ſtatus, legitimis Magiſtratibus ſubjici debent, illiſque vectigalia ac tributa pendere, & ijs in omnibus obſequi ac obedire, quæ verbo DEI non repugnant: preces etiam pro ijs fundere, ut eos DEVS in omnibus ipſorum actionibus dirigere dignetur, nos verò vitam tranquillam ac quietam ſub ipſis, cum omni pietate & honeſtate, ducere poſſimus. Quamobrem Anabaptiſtas & turbulentos omnes deteſtamur, qui ſuperiores Dominationes & Magiſtratus abjiciunt, jura ac judicia pervertunt, bona omnia communia faciunt, ac denique ordines ac gradus, quos DEVS honeſtatis gratiâ inter homines conſtituit, abolent ac confundunt.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

1. *Magiſtratui Chriſtiano non licere ſontes gladio, ſeu pœnâ capitali punire: neque licere Chriſtianis in bello ſanguinem humanum fundere.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Chriſt. fol. 1. Cum Chriſti præceptis pugnat*, quod apud Evangelicos conceditur, ita vim vi repellere, ut etiam *hominem interficere* liceat, ſi aliter vis repelli nequeat: præſertim verò *cùm bellum injuſtum nobis* infertur.

 Ibidem.

Ibidem. Antiquissimum ac severissimum DEI præceptum *humani sanguinis non fundendi*, quod habetur Gen. 9. 5. nihil in totâ Christi & Apostolorum ejus doctrinâ immutatum invenitur.

Ibidem. SI dixerint, sub V.T. ubi non minus, quam sub N. præceptum humani sanguinis non fundendi vigebat, licuisse tamen vim hostium, etiam cum ipsorum occisione, propulsare. Resp. Id propterea tum licuisse, quod DEVS multis modis declaraverat, se id *tum temporis* non improbare.

Ibidem. DEVS populo suo sub V.T. vel promiserat, vel jam assignaverat, & dederat, *terrenum regnum*, *terrenamque possessionem*, quam ab ipsis defendi & conservari volebat: quod fieri non potuisset, si hostes in se irruentes *armis propulsare*, & ad internecionem etiam interdum *interficere* non licuisset. At sub. N. T. *nullam suo populo terrenam possessionem dedit*; imò terrâ posthabitâ cœlum eos inquirere jussit; & propterea nullâ ratione unquam, vel per Christum, vel per ejus Apostolos declaravit, *se hostium invadentium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam approbare.*

Ibidem. Remanet hîc firmissimum, nec ullâ ex parte immutatum sub Evangelio præceptum *humani sanguinis non fundendi*, præsertim cum Christus præcepta addiderit, quibus non modò *ipsorum etiam hostium sanguinem fundere vetat*, sed illis benefacere jubet.

ARTI-

ARTICULUS XXXVII.

De Iudicio extremo, Resurrectione carnis, & Vita æterna.

POstremò credimus ex DEI verbo, Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, quando tempus à DEO præstitutum, quod omnibus creaturis est ignotum, advenerit, & numerus Electorum completus fuerit I. è cœlo rursus venturum, idque corporaliter & visibiliter, sicuti olim illuc ascendit, cum summâ gloriâ & Majestate, ut se declaret judicem vivorum & mortuorum: vetere hoc mundo igne & flammâ succenso, ut illum purificet. Tunc verò omnes creaturæ, tam viri quam mulieres & infantes, quotquot inde ab initio usque ad finem mundi extiterint, coram summo hoc judice comparebunt, eò nimirum *voce* [& tremendo clamore Angelorum] *& Archangeli, & tubâ* DEI evocati. Omnes enim antea mortui è terrâ tunc resurgent, animâ singulo-

rum conjunctâ atque unitâ proprio ſuo corpori, in quo vixerat 2. Qui porrò ultimo illo die ſuperſtites erunt, nequaquam morientur more reliquorum, ſed in momento & jactu oculi, immutabuntur, à corruptione videlicet in incorruptam naturam. *Tunc aperientur libri* (nimirum conſcientiæ) *& mortui judicabuntur* ſecundum ea, quæ in hoc mundo egerint, ſive bona ſive mala. Quinetiam tunc *reddituri ſunt homines rationem de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint*, etſi id mundus nunc pro ludo & joco reputet. In ſumma omnis tunc hominum hypocriſis & abſtruſa quæque cordis eorum palam coram omnibus detegentur. Ac propterea ſola judicij iſtius memoria impijs & reprobis meritò eſt horrenda & formidabilis: pijs verò & electis ſummè exoptanda, & ingentis conſolationis. Tunc enim redemptio ipſorum plane perficietur, & ſuaviſſimos laborum & dolorum ſuorum, quos in hac vitâ pertulerunt, fructus, conſequentur: innocentia ipſorum tunc aperte ab omnibus agnoſcetur, ipſique viciſſim horrendam vindictam conſpecturi

cturi ſunt, quam Dominus de ijs ſumet, qui eos varijs tormentis & moleſtijs in hoc mundo tyrannicè afflixerunt. Impij porrò proprio conſcientiæ ſuæ teſtimonio convicti erunt, & immortales quidem reddentur, ſed eâ conditione ut *in igne æterno, qui Diabolo & angelis eius paratus eſt*, in ſempiternum crucientur. Contra verò fideles & Electi coronâ gloriæ & honoris donabuntur: & *Filius* DEI *eorum nomina coram* DEO *Patre & [ſanctis eius atque electis] Angelis confitebitur: & abſtergetur omnis lachryma ab oculis eorum*. Cauſſa itaque eorum, quæ non hæreſeωs & impietatis à Magiſtratibus, & judicibus damnatur, cauſſa Filij DEI eſſe tunc agnoſcetur. Et DOMINUS eos tantâ gloriâ gratis remunerabitur, quantam nullus hominum animo concipere unquam poſſit. Magnum erga illum Domini diem [retributionis] ſummo cum deſiderio expectamus, ut rebus omnibus à DEO promiſſis pleniſsimè in Chriſto Ieſu DOMINO noſtro læti potiamur, & in æternum perfruamur.

Apocal. 22. 20. *Etiam veni Domine* IESV.

Contra hunc Articulum doceri videtur.

I. *Non esse certum aliquem numerum Electorum, qui compleri debeat.*

A WELSINGIO, *De Offic. hom. Christ. fol. B. 3.* Decretum Electionis *non ad certos ac definitos homines, nominatim hos vel illos*, sed potius ad certum hominum genus referri debet.

A SIM. EPISCOPIO, *Disput. privat. de Prædest. opere, thes. 2. & 4.* Falsa est atque erronea sententia, quæ statuit DEVM *ab æterno certum quendam numerum*, sine ullo fidei aut obedientiæ respectu, *ex reliquâ turbâ seligere*, ut in ijs salvandis misericordiam suam declararet.

Ibidem. Disp. de Eccl. thes. 12. Electio *quarundam singularium personarum* ad Ecclesiam Christi spiritualem constituendam adhiberi rectè non potuit, nec adhibita fuit.

II. *Homines non resurrecturos cum ijsdem corporibus in quibus vixerunt, sed in futurâ vitâ habituros alia corpora, quæ, quoad substantiam, spiritualia erunt.*

A CONR. VORSTIO, *Disput. de* DEO, *pag. 200.* Si & nos *spirituale corpus* habituri sumus in futuro seculo, quanto magis DEVM *spiritum* esse censendum est. Spiritus autem *carnem & ossa non habet*, nec videri nec tangi potest. Ex quo apparet DEI *substantiam* prorsus esse spiritualem, & ab omni materiâ, seu *crassâ corpulentiâ* penitus alienam.

Ibidem. In futuro seculo jam *non amplius caro & sanguis* erimus: sed *ἰσάγγελοι*, & *spirituales*.

FINIS.

Omissa

Omissa pag. 95.

Contra Articulum XXV doceri videtur.

VI. *Hominem regenitum posse in hâc vitâ legem* DEI, *seu præcepta omnia moralia, perfectè servare.*

Ab ARMINIO, *Resp. ad 31. Artic. pag. 164. 165.* Non repugno isti sententiæ Augustini, quâ statuit hominem sine peccato esse posse in hac vitâ.

Respons. ad 9, Artic. pag. 176. Præstatio legis secundum mentem postulantis est æstimanda: qui cum aut rigidè velit in summo perfectionis gradu illam observari, aut secundum ἐπιείκειαν tantùm, respondebitur bifariam, ad quæstionem, *An fideles sub gratiâ N. T. possint in hac vita Legem* DEI *perfectè servare?* Nempe, si postulet secundum ἐπιείκειαν, & vires quas contulit proportionatæ sint postulato, non posse hominem talem Legem DEI perfectè præstare, si consideretur ut præstanda juxta rigorem. Si verò postulet secundum ἐπιείκειαν, & vires collatæ sint proportionatæ, quod dicendum est, cum Evangelico fœdere postulet; *respondendum est posse perfectè præstari.*

Artic. perpend. pag. 30. Qui dicit regenitos posse per Christi gratiam *Legem perfectè præstare in hac vitâ*, ille non Pelagianus est, neque gratiæ DEI facit injuriam, neque justificationem ex operibus stabilit.

A VORSTIO, *Apolog. Exeg. 111.* Obedientia in Lege DEI requisita *secundum, quid & per accidens,* nobis est impossibilis, nempe quatenus extra gratiam DEI, tum justificantem, tum regenerantem, adhuc versamur: & quamdiu ita prout jam corrupti sumus, in nobis ipsis spectamur. Intereà verum manet, DEUM *nihil omninò præcipere quod non* per illam integram ipsius DEI voluntatem eatenus saltem *præstare possimus, ut* DEUS *ipse gratiosè in hac obedientiâ tandem acquiescat.*

Ibidem.

Ibidem.pag.112. DEVS in nobis efficit,ut,niſi ſponte nobis deſimus,*præcepta ipſius*,per hanc ejuſdem gratiam ,*præſtare & poſsimus & velimus,adeoque reipſa præſtemus*:ita ſaltem ut DEVS in hâc præſtatione clementer acquieſcat.

A VENATORE, *Declar.pag.174.* Non credo DEVM jure poſſe ab hominibus exigere, *quod à nativitate ipſa præſtare non potuerunt :* atque ad hoc præſtandum vires dare non velle, & quod tamen propterea velit eos condemnare, quod bonum impoſsibile non præſtiterint, & peccatum inevitabile non omiſerint.

Ibidem.pag.177. Nullo modo aſſentiri poſſum DEVM ab homine exigere *quod præſtare non poſsit*,& ad quod præſtandum vires non conferat , neque unquam conferre velit.

F I N I S.



HARMO-

HARMONIA
SYNODORVM BELGICARVM,
ſive
CANONES
REGIMINIS ECCLESIASTICI IN SYNODIS NATIONALIBVS,

à Reformatione in BELGIO celebratis, conſtituti, & in Reformatis Eccleſijs Belgicis hactenus obſervati, breviter in ordinem digeſti per

S. R.

SYNODI NATIONALES

A Reformatis Ecclesijs Belgicis tùm extra Belgium propter persecutionem Hispanicam, tùm in Belgio celebratæ fuerunt,

I.	WESALIÆ,	Anno 1568.
II.	EMDÆ,	Anno 1571.
III.	DORDRECHTI,	Anno 1574.
IV.	DORDRECHTI,	Anno 1578.
V.	MIDDELBVRGI,	Anno 1581.
VI.	HAGÆ-Comitis,	Anno 1586.

Ab eo tempore nulla Synodus Nationalis in Belgio haberi potuit: Septima autem, ex decreto Illustr. & Præpotent. ORDINVM GENERALIVM BELGICÆ, celebrabitur (volente DEO, qui eidem clementer benedicat,)

DORDRECHTI ad Kal. Novembr. Anno 1618.

In cujus usum hæc eduntur.

HARMO-

HARMONIA SYNODORVM BELGICARVM.

QVatuor potiſſimum Miniſterij Ordines in Eccleſiâ ſunt, nimirum, Miniſtrorum, Doctorum, Seniorum & Diaconorum.

Cap. I.

De Miniſtris verbi Dei.

I.

Ad verbi Miniſterium nemo admittatur, ſine legitimâ Vocatione, Electione, juſtoque Examine doctrinæ, vitæque anteactæ.

II.

Cavendum ſibi eſt à νεοφύτοις, & Monachis vel Preſbyteris à Papatu converſis, ne admittantur ad S. Miniſterium, niſi ſeria & diuturna præceſſerit exploratio.

III.

Vt autem idonei ad hoc munus reperiantur viri, hoc agant Eccleſiæ, ut adoleſcentes ingenui, & bonæ ſpei in ſtudio Theologico educentur.

IV.

Ad Electionem Miniſtri requiruntur ſequentia, ut 1. Celebretur jejunium. 2. Nominetur à Preſbyterio & Claſſe. 3. Examinetur ab utriſque. 4. Siſtatur coram Magiſtratu & totâ Eccleſiâ, ut intra dies quatuordecim tacitis fidelium ſuffragijs comprobetur. 5. Subſcribat Catechiſmo Heydelbergenſi & fidei Confeſſioni Hiſpaniarum Regi Anno 1578. exhibitæ. 6. Confirmetur coram Eccleſiâ cum oratione ad Deum, manuum impoſitione, (ſi ita ferat conſuetudo) &

exhortatione ad populum; postquam ad ista interrogata publicè responderit.

I. An se legitimè sentiat ad hoc ministerium vocatum.
II. An sola Biblica scripta pro Dei verbo recipiat.
III. An ea fideliter populo prædicare velit, vitâ inculpatâ præeundo.
IV. An se subjiciat Ecclesiasticæ Disciplinæ.

V.

Qui semel legitimè in S.Ministerio sunt confirmati, illud dum vivunt non deserent, nisi legitima incidat occasio, de quâ judicium erit penes Synodum Provincialem vel Nationalem.

VI.

Nemo ab aliâ vocatus Ecclesiâ ad eam se conferet, nisi cum Ecclesiæ suæ consensu & Classis approbatione.

VII.

Fidi Pastoris & Ministri officia sunt:

1. Verbum Dei cum reverentiâ & simplicitate prædicare.
2. Sacramenta administrare.
3. In Oratione perseverare.
4. Disciplinam Ecclesiasticam exercere.
5. Et procurare ut omnia decenter & ordine peragantur.

VIII.

Si Minister donum habet aliquid ad ædificationem conscribendi, illud typis non mandabit, quin prius à Classe examinetur & probetur.

IX.

Honesta & justa merces Ministro danda est.

X.

Si quis senio vel morbo fiat ad Ministerium inutilis, ab Ecclesiâ nihilominus alendus est.

XI.

De Ministrorum viduis & orphanis similiter habenda est ratio.

XII. Cæ-

XII.

Cæcus in Ministerio non est confirmandus: attamen si confirmatus sit, non ideò deponendus.

XIII.

Studiosi Theologiæ cum bonâ Claſsis veniâ, publicè quandoque exercitij cauſsâ concionari poterunt, non tamen Sacramenta administrare, donec in ministerio plenè sint confirmati.

XIV.

Nullus Minister in Ministros alios primatum aut dominatum obtinebit, sed æqualiter Ecclesiasticum onus ferent.

XV.

Si minister in S. hoc munere se non condignè gesserit, adeò ut infamiæ notam sibi inusserit, à Ministro suspendatur vel deponatur, idque Magistratus consensu.

CAP. II.

De Doctoribus & Scholis.

I.

Hæc Ecclesiarum sit cura, ut in Academiâ sint Doctores Theologiæ, eruditionis & pietatis nomine præstantes.

II.

Habeat unaquæque Ecclesia ad erudiendam iuventutem suos Ludimagistros.

III.

Præscribat Ecclesia Ludimagistris preces in Scholis concipiendas, & libros ad institutionem puerilem maximè idoneos.

CAP. III.

De Senioribus.

I.

Eligantur Seniores à verbi Ministris & conventu Ecclesiastico, cum jejunio & oratione ad Deum, & confir-

mentur in Ecclesiâ consuetis interrogationibus.

II.

Munus Seniorum est: 1. Cum verbi Ministris gregi invigilare, 2. Ecclesiæ membra invisere. 3. Ægros consolari. 4. Scandala ad consistorium deferre. 5. Cum verbi Ministris de scandalis judicare, & quantum poterunt, ex Ecclesiâ tollere.

III.

Numerus Seniorum sit pro arbitrio & necessitate cujusque Ecclesiæ.

IV.

Seniores electi ex Ecclesiæ consuetudine, munus illud in se recipere non recusent, nisi gravis subsit causa.

V.

Singulis annis dimidia pars Seniorum Electione renovabitur: quamvis magis è re Ecclesiæ esset in prædicto munere continuatio, siquidem commodè id fieri posset.

CAP. IV.

De Diaconis.

I.

Diaconi sunt eligendi & confirmandi eo modo quo Seniores.

II.

Diaconorum munus est. 1. Eleemosynas & alia pauperum bona diligenter colligere. 2. Fideliter & discretè distribuere. 3. Pauperes & ægros amanter invisere & consolari. 4. Ne inutiliter Eleemosynæ consumantur prospicere vigilanter.

III.

Collectæ & expositæ pecuniæ rationem singulis mensibus coram Synedrio Ecclesiastico reddent.

IV.

Mulieres ætate provectæ, spectatâ fide ac probitate ad hoc

hoc etiam munus Apoſtolorum exemplo rectè adſciſci poſſent.

CAP. V.

De Prophetiâ. Ex Synodis Weſalienſi & Embdanâ.

I.

In omnibus Eccleſijs ſive naſcentibus, ſive vegetis, Prophetiæ ordo ex Pauli inſtituto obſervetur.

II.

Ad hoc collegium cooptentur, non modo Miniſtri, ſed etiam Doctores, ac ex Senioribus & Diaconis, atque adeò ex ipſa plebe, ſi qui ſint qui donum ſuum à Domino acceptum in communem Eccleſiæ utilitatem conferre velint: Ita tamen ut prius Miniſtrorum atque aliorum probentur judicio.

III.

In hoc Collegio ad ædificationem omnium liber aliquis Scripturarum rato ordine explicetur. Vbi autem is, cujus erunt partes, vices ſuas expleverit, licebit ijs qui ſubſellijs eum inſequuntur, ſiquidem viſum erit, adjicere quod ad ædificationem pertineat: Ac tum demum, conceptâ oratione, ab eo, cujus erunt partes, cœtus claudatur.

IV.

Prophetandi forma, quæ quæſtionibus & reſponſionibus conſtat, à Pauli inſtituto eſt aliena, & ſimulatum contentionúmque perſæpè eſt occaſio.

CAP. VI.

De Eccleſiaſticis Conventibus.

I.

Eccleſiaſticus conventus eſt quadruplex. 1. Cujuſque Eccleſiæ Conſiſtorium. 2. Claſſis. 3. Synodus Provincialis. 4. Synodus Nationalis.

II. Hi

II.

Hi Conventus oratione ad Deum inchoëntur, & gratiarum actione terminentur.

III.

In hiſce conventibus nullæ niſi res Eccleſiaſticæ tractentur idque Eccleſiaſtico modo.

CAP. VII.

De Conſiſtorio.

I.

Vnaquæque Eccleſia ſuum habeat Conſiſtorium, ex verbi Miniſtro vel Miniſtris, & Senioribus dictæ Eccleſiæ conſiſtens; qui ſingulis ſeptimanis ad minimum ſemel conveniant, ad res incidentes pertractandum.

II.

Verbi Miniſtri per vices præſideant, deſignetur Scriba, qui notatu digna ſcripto conſignet.

III.

Sint etiam in Eccleſiâ libri chartacei, in quibus ſcribantur nomina eorum, qui Sacro Baptiſmate tinguntur, nec non parentum & patrimorum nomina. Item eorum, qui nomen dant Eccleſiæ, matrimonio junguntur, & moriuntur.

IV.

Præſidis officium eſt. 1. Ex ordine ſententias rogare. 2. Loquacibus ſilentium imponere. 3. Et ex collectis ſuffragijs res concludere.

V.

Eccleſiæ membra, quæ alio ſe conferre volunt, à Conſiſtorio teſtimoniales litteras petant.

VI.

Quod in Conſiſtorio commodè terminari non poteſt, ad Claſſicum conventum deferatur.

CAP.

CAP. VIII.

Classis, seu Synodus Diœcesiana.

I.

Classicalis Conventus consistat ex verbi Ministris, & Senioribus vicinarum aliquot Ecclesiarum.

II.

Fiat initium ab oratione ad Deum, per Ministrum qui præsederat conventui præcedenti, vel per Pastorem loci.

III.

Oratione finitâ fiat Electio Præsidis & Scribæ, secretis suffragijs.

IV.

Præsidi tradantur literæ missionis seu testimoniales cujusque Consistorij, legantur Acta præcedentis Colloquij, & tempus locusque conventui designetur.

V.

Huic conventui, Ministris & Senioribus etiam non designatis interesse liceat, & sententiam dicere, Interim designatorum sententiæ suffragij vim tantum obtineant.

VI.

Quod in conventu Clasicali commodè decidi non poterit, ad Synodum Provincialem deferatur.

CAP. IX.

Synodus Provincialis.

I.

Synodus Provincialis est conventus vicinarum Clasium.

II.

Ex unaquaque Classe duo Ministri & Seniores duo designentur, qui singulis annis ad minimum semel conveniant.

III.

Qui ſuperiori conventui præfuit, aut qui Loci eſt Paſtor, preces concipiat ad Præſidis, Aſſeſſoris & Scribæ electionem.

IV.

Præſes electus 1. Habebit preces ad totam actionem accommodatas. 2. Literas teſtimoniales poſtulabit. 3. Suffragia colliget. 4. Majoris & ſanioris partis ſententiam exponet. 5. Eam Scriba excipiet; exceptam diſertè leget, ut omnium calculis probetur. 6. Omnes ſeſſiones gratiarum actione claudet.

V.

Quæ ad Doctrinam primùm, deinde quæ ad Diſciplinam Eccleſiaſticam pertinebunt, diſtinctè ſcriptis conſignabuntur, & legentur.

VI.

Præſidis officium eſt: 1. Iubere ut quiſque ordine ſuo loquatur. 2. Silentium contentioſis & acrioribus imperare. 3. Niſi taceant ut egrediantur præcipere, & fratrum judicio condignè reprehendere.

VII.

Totius conventus Provincialis conſenſu eligetur Eccleſia proximo conuentui commoda.

VIII.

Abſolutis Synodi negotijs celebrabitur Sacra Cœna inter Miniſtros & Seniores, qui ad Synodum convenerunt, & Eccleſiam loci in quo collecta eſt.

IX.

Eccleſiæ, in quâ Synodus habetur, cura incumbet, ut ad proximam Synodum acta ſeu conſtitutiones illius Synodi mittat vel adferat.

X.

Quod in Synodo Provinciali commodè decidi non poterit, ad Synodum Nationalem deferetur.

CAP.

CAP. X.

De Synodo Nationali.

I.

Synodus Nationalis est conventus à Belgij Provincijs designatorum.

II.

Eadem in hac Synodo, ut supra, est observanda ratio.

III.

Vnaquæque Provincia ad Synodum mittet duos verbi Ministros, & Seniores duos.

IV.

Aderunt etiam ab Ecclesijs Belgij Wallonicis deputati.

V.

Quin etiam summi Magistratus delegati sunt postulandi, ut in ipsorum præsentiâ eorumque suffragio Synodi acta concludantur.

VI.

Hoc autem, si fieri potest, agendum est, ut singulis triennijs dicta Synodus celebretur.

VII.

Vt ritè instructi veniant designati, unaquæque Provincia tempestivè monebitur.

CAP. XI.

De Exercitijs Ecclesiasticis in sacro conventu peragendis.

I. *Lectio.*

Cultus divinus in Ecclesiâ à lectione unius aut alterius Capitis ex Scriptura incipiendus est.

II.

Fia t oc per Seniorem vel Diaconum, vel alium quemvis ad hoc ab Ecclesiâ constitutum.

III. *Concio.*

Concio ſacra à Pſalmorum cantu, & precibus ad Deum devotis inchoabitur.

IV.

Vtile erit certum Sacræ Scripturæ librum ordine pro concione explicare, idque ex Synedrij conſilio.

V.

Conciones funebres nuſquam introducendas, & ubi in uſu ſunt commodè tollendas cenſet Synodus.

VI.

Concionibus nimis prolixis auditorum memoria ne oneretur, ſed (ſi fieri poteſt) ad unius horæ ſpatium ſermo temperetur.

VII. *Pſalmi.*

In Cantu Eccleſiaſtico retinebuntur Pſalmi à Petro Datheno converſi per omnes Belgij Eccleſias.

VIII.

Vtile erit aliquem deſignare cantorem qui populi cantum moderetur, & Pſalmodiâ præeat.

IX.

In Eccleſiæ cuiuſque arbitrio erit, Pſalmos ordine contînuo, vel pro re natâ decantare.

X.

In hebdomade dies, pro cujuſque Eccleſiæ commodo, ſolennibus precibus conſecrabitur, quo publica ac ſubmiſſa peccatorum pro populo fiat deprecatio ante vel poſt concionem.

XI.

Miniſter preces vel dictante Spiritu, vel certâ ſibi propoſitâ formulâ concipiet.

XII. *Iejunia.*

Tempore Belli, Famis, Peſtis, Perſecutionis & afflictionis gravioris dies jejunij publicè Domino ſanctificabuntur, Magiſtratus auſpicijs & conſenſu.

XIII. Cate-

XIII. *Catechesis.*

Catechizandi consuetudo ab Apostolis accepta in omnibus Ecclesijs observanda censetur.

XIV.

Belgicis Ecclesijs commendatur Heydelbergensis formula, ut cum Ecclesiis Germanicis unanimis & Christiana declaretur consensio.

XV.

In explicandâ Catechesi sermone familiari & ad juniorum captum accommodato est utendum.

XVI.

Parentes & Ludimagistri sunt monẽdi, ut domi & in scholis juventutem diligenter in Catechesi instituant, & simul ac ætas liberorum patitur Ecclesiæ catechizandos offerant.

CAP. XII.

De Sacramento Baptismi.

I.

Sancti Baptismi Sacramentum, non ab alio quam à verbi Ministro ritè conferri posse censetur.

II.

Hoc gratiæ sigillum etiam ad Christianorum liberos pertinet, eoque sine diuturniori dilatione Ecclesiæ sistentur baptizandi.

III.

Initio nascentis Ecclesiæ infirmorum habenda est ratio, eoque ad evitandum scandalum pueros valetudine adflictos domi Baptizare licebit, præsentibus ut minimum quatuor aut quinque fidelibus.

IV.

Administretur baptismus formâ usitatâ, & in Ecclesiasticis constitutionibus expresså.

V.

Vnica vel trina tinctio censetur ἀδιάφορα.

VI.

Parentes & Testes, qui ad Baptismum pueros adferent, ijs verbis, quæ in formâ Baptismi expressa sunt, interrogabuntur.

VII.

Curandum est ut Testes sint justæ ætatis & sanæ Religionis.

VIII.

Infantibus non sunt danda nomina Divina, Barbara, Superstitiosa, sed in sacris literis (quantum fieri potest) expressa, & à sanctis usitata.

IX.

Nomina Infantum, Parentum, ac Testium publicis tabulis consignari tum Ecclesiæ, tum Reipub. conducet.

X.

Si adultus nondum Baptizatus Baptismum postulet, is prius publicam confessionem fidei suæ reddet in Ecclesiâ.

CAP. XIII.

De Sacramento Cœnæ Dominicæ.

I.

Sacra Domini Cœna à solis verbi Ministris est administranda.

II.

Cœnæ celebrandæ tempus ante quartum decimum diem ad populum referri judicatur utile: tum ut Ecclesiæ membra se maturè præparent; tum ut Seniores suas vices obeant, & infirmiores moneant & consolentur.

III.

Nemo ad Cœnam Dominicam admittatur, nisi qui fidei confessionem ante reddiderit, & Disciplinæ Ecclesiasticæ se subjecerit, & vitæ inculpatæ testes fideles produxerit.

IV.

Sub utrâque specie Panis sc. & vini S. Cœna est celebranda.

V. Panis

V.

Panis ſit communis, non peculiaris quis azymus, aut qui ſuperſtitionem reſipiat.

VI.

Fractio panis (quia à Chriſto manifeſtè eſt inſtitura, ab Apoſtolis totâque Eccleſiâ vetuſtiori obſervata) neceſſaria omninò cenſetur.

VII.

Verba S. Cœnæ Chriſti præcepto & Apoſtoli Pauli declaratione conſentanea ſunt retinenda.

VIII.

Liberum eſt ſtando, ſedendo, vel eundo Cœnam celebrare, non autem geniculando ob ἀρτολατρείας periculum.

IX.

Vtile erit tunc pro concione de S. Cœna argumentum tractare, à Concione formulam conſtitutam Eccleſiæ prælegere, & dum Cœna celebratur S. Scripturam legi, vel Pſalmos decantari.

X.

Eccleſiæ Belgicæ in Pace conſtitutæ ſingulis bimeſtribus Cœnam celebrabunt, quod liberum relinquitur Eccleſijs ſub Cruce gementibus.

XI.

Ante Cœnæ Dominicæ diem fiat concio præparatoria, & à concione inter Miniſtros, Seniores & Diaconos fraterna exerceatur Cenſura.

XII.

Siquis literis teſtimonialibus ab aliâ Eccleſiâ venerit, ſine confeſſione fidei iteratâ admittendus eſt.

CAP. XIV.

De Diſciplina Eccleſiaſticâ.

I.

Vigilandum eſt ne ulla Eccleſia, neglectâ Eccleſiaſticâ Diſciplinâ, inſtituatur.

II. Ne-

II.

Necessitas Disciplinæ docetur ex Domini nostri instituto, ex Apostolorum & vetustioris Ecclesiæ usu, & quotidianâ rerum experientiâ.

III.

Constat autem Disciplina, tum in Censurâ doctrinæ, tum in legitimâ morum correctione, id est, in justo Clavium à Domino Ecclesiæ datatum usu.

IV.

Hæc Censura & Correctio nequaquam delinquentem liberat, à Civili judicio, & Magistratus gladio.

V.

Si quis in Doctrinæ puritate sive morum sanctitate peccaverit, si occultum id sit, & à Scandalo publico remotum, observabitur Regula quam præscribit Christus, Matth. 18. nisi sit in casu proditionis aut perniciei publicæ.

VI.

Si privatâ admonitione fratrem lucratus es, noli ejus crimen ad Consistorium deferre. Sed si duos aut tres fideliter admonentes non audierit, deferatur, ut in viam reducatur.

VII.

Peccata suâ naturâ publica, aut per admonitionis privatæ contemtũ publicata, ex Consistorij totius arbitrio, modo & formâ ad ædificationẽ maximè accõmodatis sunt corrigẽda.

VIII.

Qui pertinaciter Consistorij admonitiones rejecerit, à S. Cœnæ communione suspendetur.

IX.

Si suspensus post iteratas admonitiones nullũ pœnitentiæ signum dederit, ad Excommunicationem procedet Ecclesia.

X.

Processus autem ad Excommunicationem hic erit.

1. Minister è suggestu (peccatoris nomine occultato) quid cum gravi quodam peccatore actum sit, significabit, & Ecclesiam, ut pro peccatore impœnitente sedulo oret monebit.

2. Pecca-

2. Peccatoris impœnitentis nomen pro Cætu publicabit.
3. Significabit nisi resipiscat, Excommunicandum esse.
4. Si ne sic quidem ad resipiscentiam adduci potest, coram Ecclesiâ pertinacis ejusmodi peccatoris, à corpore Ecclesiæ fiet Excommunicatio & abscissio.
5. Monebuntur fideles ne familiarem & non necessariam cum excommunicato consuetudinem habeant, sed ejus consortium vitent, hoc præcipuè consilio, ut pudore suffusus Excommunicatus de resipiscentiâ seriò cogitet.

XI.

Qui gravia & Ecclesiæ probrosa commisit peccata, etiamsi verbis pœnitentiam testetur, à Cœnæ tamen communione aliquot vicibus pro Consistorij arbitrio suspendetur.

XII.

In recipiendo excommunicato seriò resipiscente, ea observanda est ratio, quæ ad cujusque Ecclesiæ ædificationem maximè faciet.

XIII.

Si Minister, Senior, aut Diaconus publico aliquo crimine (quod Deus avertat) se contaminaverit, ab officio erit movendus: Si autem crimine aliquo occulto teneatur, à Classico conventu Censuram expectet pro criminis magnitudine vel levitate.

XIV.

Crimina quæ in Ministris nequaquam tolerari debent, ea ferè sunt hujusmodi, Hæresis, Schisma, Manifestus ordinis Ecclesiastici contemtus; Blasphemia manifesta & animadversione civili digna, Simonia, inhonestus ambitus ad alterius locum invadendum, Desertio sui muneris, suæque Ecclesiæ, sine legitimo consensu: Crimen falsi, Perjurium, Scortatio, Furtum, Ebriositas, Vis armata, omnisque vis correctione civili digna; Fœnus illicitum; Alea, cæterique ludi inhonesti, ac legibus interdicti: Manifesta affectatio tyrannidis in Ecclesiam ac Collegas, cæteraque alia hujusmodi, quæ vel inurunt infamiam, vel separationem ab Ecclesiâ merentur.

XV.

Delicta quæ quidem tolerantur, ſed tamen reprehenſioni & cenſuræ ſunt obnoxia, ea ferè ſunt ejuſmodi, inanis quædam quæſtionum inutilium curioſitas: ingenij oſtentatio intempeſtivis allegorijs: in ſcripturarum ſtudijs remiſſio: novarum conſuetudinum quarundam pro libidine introductio: facetiæ indecoræ: verbum contumelioſum: temeritas: inanis gloriolæ cupiditas: plus æquo acres objurgationes, &c. quæ verbi divini Miniſtrum dedecent.

XVI.

In levioribus vitijs, quæ ne judicio quidem confeſſus digna videbuntur, ſervetur ea quæ eſt in cæteris omnibus à Chriſto præſcripta ratio.

XVII.

Vt hic Cenſuræ ordo commodius obſervetur, utile erit in binos, vel ut minimum in ternos menſes, Claſſis cuiuſque conventum haberi, in quo de huiuſmodi rebus diligens fiat.

XVIII.

Claſſis conventus non ſemper uno eſt habendus loco: tum ut Eccleſiarum alterius in alteram dominatus impediatur, tum vero ut ſingularum Eccleſiarum exploratio fiat diligentior, de verbi doctrinâ, vitâ, Ceremoniis ac diſciplinæ ratione.

CAP. XV.

De Matrimonio.

I.

Matrimonium initiari debet inter marem & fœminam ætatis juſtæ ex Reip. legibus. 2. Conſenſu mutuo & Parentũ, Tutorum vel aliorum, quorum intereſt. 3 In præſentia miniſtri verbi, nominis divini invocatione. 4. Verbis de præſenti & obligatorijs, quæ omnes excludunt conditiones.

II.

Clandeſtina promiſſa, & contra voluntatem Parentum præſtita, illegitima ſunt & nullius valoris.

III. Ver-

III.

Verbi Minister ab initiandis in matrimonio interrogabit. 1. An sint ab omni promissione liberi. 2. An parentes consentiant. 3. An non sint consanguinei. 4. An sint Ecclesiæ membra, aut saltem Reformatæ religioni addicti, eoque Ecclesiæ nomen dabunt.

IV.

Si parentes Religionis odio, aut alijs de causis iniustis se difficiles præstiterint, penes Consistorium erit, aut Magistratum, rem explorare & diiudicare.

V.

Peregrini & ignoti in matrimonio non sunt initiandi, nisi prius legitimo testimonio probent se ab omni promissione alienâ esse liberos. Si pars alterutra vel utraque antè matrimonio iuncta fuerit, de morte priorum coniu um testimonium exhibebit legitimum.

VI.

Sponsalia legitimè contracta ne utriusque quidem partis consensu dissolui poterunt.

VII.

Matrimonio conjungendorum nomina Tabulis publicis consignabuntur, & trinis diebus Dominicis, aut alioquin per tres vices iustis intervallis pro concione edentur, iis imprimis locis ubi habitant & noti sunt.

VIII.

Quovis die matrimonia confirmari & celebrari poterunt, modo concio ad populum habeatur, exceptis Cœnæ diebus, & ieiunio sacratis.

IX.

Si matrimonij vinculum adulterio fuerit ruptum, ut partium fiat reconciliatio, serio est laborandum: Quod si frustra tentetur, & pars innocens alio velit iungi matrimonio, declarabit Synedrium (ubi adulterium coram Magistratu fuerit probatū) ex verbi Dei norma illud ipsum esse legitimum.

X.

Viduæ (imprimis iuniores) ante quartum cum dimidio menſem novo non iungantur coniugio: poſtulat autem hoc neceſſitas & muliebris verecundia.

Concluſio.

Articuli hi ad legitimum Eccleſiæ ordinem ſpectantes, ita mutuo conſenſu ſunt conſtituti, ut ſi utilitas Eccleſiarum aliud poſtulet, mutari, augeri, & minui poſſint & debeant.

Non erit tamen privatæ alicuius Eccleſiæ id facere, ſed dabunt omnes operam, ut illos obſervent, donec Synodo aliter conſtituatur.

FINIS.

